



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

*Marietti. 1779.*

VIA  
AD  
VERITATEM  
MORALEM  
GENVINIS FVNDAMENTIS  
SVPERSTRVCTAM  
ET  
A PRAESVMPTIS OPINIONIBVS  
ALIISQVE INEPTIIS VACVAM  
PRAEEVNTE  
NIC. HIER. GVNDLINGIO

---

REGVS. A. cIcIccXXVI.

Bayerische  
Staatsbibliothek  
München

## CAP. I.

DE VITA BEATA, ET QVAE  
AD EAM MANVDVCIT, PHI-  
LOSOPHIA MORALE

## §. I.

**V**T omnes homines ueritatem scire desiderant, et amoliri errorem laborant; ita nemo est, qui non appetat uitam beatam, fugiatque infelicem et aerumnosam.

II. Sed in hoc tamen sapientes ab imperitis atque ineptis differunt, quod hi pecorum ritu antecedentium gregem sequantur, nec, qua eundem est, incedant; illi uero acute primum peruident, quid beatam uitam efficiat, quidue destruat eandem.

III. Peruidere autem nemo potest, nisi prius exactam felicitatis ideam animo complectatur.

IV. In qua determinanda dia laborandum non est. Nam si tum demum contenti agimus, quando fine dolore sumus, consequitur sane, ut dolor felicitati sit contrarius.

V. Ergo infelicitas dolor est, et felicitas uicissim indolentia.

VI. Sentimus uero, nos tum demum dolere, quando aliquid nobis, quod appetimus, deficit, et acquiescere contra, quando, quod desiderauimus, habemus.

VII. Itaque, ubi desiderium finit, quies seu felicitas incipit; haecque definit, ubi istud incipit.

VIII. Ex quo colligitur, ut felicitas non

obtineatur sine desiderio , neque , quamdiu aliquid appetimus amplius , simus plene beati.

**I X.** Quamobrem circumspiciendum est cogitate , quid appetendum sit , in quo tandem aliquando acquiescamus .

**X.** In eo omnis Philosophiae actiuae argumentum situm est . Quemadmodum enim , cum erramus , aliquid mente figuramus , quod extra eam non est , idque negligimus , quod in re ipsa obseruatur ; ita uaria appetimus et consequamur , in quibus beata uita constitui non potest , eaque deuitamus , quae ad illam obtinendam perficiendamque plurimum faciunt .

**XI.** Ergo Ethica merito ars uocatur dirigendi appetitiones nostras , ut logica intellectum .

**XII.** Appetitiones autem srite diriguntur , quando speramus recte , itidemque metuimus apposite .

Consideretur Senecae acutum dictum : *ne gaudias vanis , fundamen!um hoc esse dixi : culmen est.*

**XIII.** Ex appetitionibus , sanis mores boni resultant ; ex recta morum constitutione philosophiae moralis denominatio profluit . Mores autem sine actione concipi nequeunt .

**XIV.** Eam ob causam haec disciplina practica κατ' ιξοχην uocatur , quia circa agenda uersatur . Nam ratione finis omnis philosophia practica est , nulla theoretica .

**XV.** Praxes , seu actiones multiplicis generis sunt . Vel enim honestae sunt , uel inhonestae ; iustae , uel iniustae ; prudentes , uel imprudentes .

**XVI.** Honestae naturam humanam perficiunt , iustae conseruant , prudentes ab alienis iniuriis defendunt .

XVII. Philosophia moralis late accepta, prout et ethicam, et iurisprudentiam, et politicam comprehendit, has actiones omnes pro obiecto habet.

XVIII. Stricte sic dicta uero tantum circa honestas uersatur, quae uirtuti tanquam fundamento innituntur, et nostri intuitu honestae, respectu aliorum aequae, uocantur: quas nunc quidem explicatius, trademus. Leges enim bonae methodi requirunt, ne simul omnia, aut sane plurima, considerentur.

XIX. Decoras omittimus, utpote quae pro diuersa consideratione uel ad honestas referuntur merito, uel ad prudentes, quod in progressu clarius elucebit.

XX. Interea tamen recensitae actiones omnes appetitionum nostrarum indices atque effectus sunt: appetitiones a uoluntate proueniunt. Vnde relinquitur, ut uoluntas humana exutienda et contemplanda sit omnium primo.

XXI. Antequam uero id apposite fiat, inuestigemus primum, utrum etiam ueritas moralis speranda fit. Forte enim, uti Pyrrho gannit, nihil turpe, nihil honestum est; nihil iustum, nihil iniustum: forte Carneadis decantata utilitas in omni negotio praeueabit.

XXII. Sed iam in praeceptis logicis animaduertimus, eum, qui de omnibus inepte dubitat, quemadmodum Pyrrho, rationibus confutandum non esse, quia ab insania proxime abest.

XXIII. Alterum uero, Carneadem intellige.

tellige, tum demum audiemus; si honestatem ab utilitate uera posse separari ostenderit quisquam, aut hanc ab illa.

Inquiratur interea in *Carneadis* sententiam, atque similem doceatur; utrum *Lassantius* integrâ fide eius opinionem proposuerit?

**XXIV.** Ceteri, qui demonstrationes e philosophia morali eiiciunt, rectius edocendi sunt. Ut enim hic nullae occurruunt figurae sensibiles, quemadmodum in disciplinis mathematicis; tamen modi, quos ipsi mente praecidimus, tam sunt clari atque euidentes, quam numeri, quos certis notulis distinguimus. Quod uero signa numeralia praestant in quantitatibus, id nomina eorumque definitiones exactae in moralibus praestabunt.

Notetur *Grotius*, qui non sustinuit magnum demonstrationibus moralibus adtribuere robur.

**XXV.** At difficile id esse praestitu, nemo non fatebitur. Ipse *Lockius* philosophus praestantissimus in hanc disciplinam sese infundere ausus non est: Lineas, figuras, circulos, angulos, numeros, ante oculos habemus: obligatio, bonum, ius, cetera, a sensibus longe remota sunt; in definitionibus autem facile ambiguitas sese occulit: quid? quod maxima hominum pars affectibus ducitur.

**XXVI.** Hi faciunt, ut, quod appetimus ipsimet, uere bonum pronuntiemus; et quod uel metuimus, uel odio prosequimur, haud raro malum appellemus, adeoque alios quoque, si suppetat potentia, a boni cognitione auertere conemur.

**XXVII.** Interea cum, quae difficultia sunt,

sunt, itidem apparent pulchra, faciamus periculum, definientes, quae sunt obscura, definita probantes, aliena refecantes.

§. XXVIII. Ea ratione non dubitamus, quin pleraque probe agitata animo ad liquidum queant perduci. Applicatio autem proprio uniuscuiusque iudicio relinquatur. Quae physicae considerationis sunt, et ex illa disciplina mutuo sumuntur, ad coniecturas pertinere saepius scripsimus.

Laudetur Silbonius, qui contra Scepticismum moralis mascula eloquentia scripsit: commendetur etiam Joannis Francisci Buddei de Scepticismo moralis dissertatio.

§. XXIX. Quamobrem nihil reliquum est, quam ut omnis aetatis homines ad hanc philosophiae partem excolendam perhumaniter inuitemus. Etiam iuuenibus hic locus est, sed adsiduis et in labore pertinacibus; qui audiant non tantum, sed etiam discant, nec uerba solum, sed res excipient.

Differatur, quam insulse Aristoteles iuuenes a moralibus auerterit.

## CAP. II.

# DE VOLVNTATE HVMANA EIVSQVE MVNERE.

## §. I.

**H**ominis anima una est; sed plures in ea inueniuntur potentiae. Potissimae intellectus sunt et uoluntas.

§. II. Nomino potentias, ne fabulae querundam aliquid tribuere uideamur, qui intellectum et uoluntatem saepe, tanquam res di-

stinctas, seu diuersa agentia considerant. Nam et si sunt distincta; tamen non aliter, quam potentia saltandi, et cantandi in homine differunt. Res et substantias peculiares, quae existant seorsim, caue putes.

III. Interea obstinati adeo ingenii non sum, ut potentiarum uocabula mordicus defendenda iudicem.

Vide, quae in hanc rem *Lockius* differit de intellectu humano p. m. 277.

IV. Tu, si me audis, ipsam mentem, quae residet in capite, intuere et eam seipsam determinare animaduertes.

Dicatur de *Helmontio*, qui animam operari quoque in stomacho scripsit. Quare uoluntatem multi appellauerint cor, nonnulli etiam collocauerint in corde?

V. Omnis determinatio conatum, conatus potentiam, requirit.

VI. Potentia est uel actiua, uel passiua. Ea immutat; haec facit, ut aliquid immutari possit.

VII. Igitur et agit anima, et patitur. Agit, cum eligit; patitur, antequam se ad electionem rei approbatae accingat: sicut, cum intelligit mens, et agit certa ratione, et patitur.

VIII. Igitur nulla uolitio sine passione et actione mente depingi potest.

IX. Pati significat moueri, agere mouere.

X. Vbi motus, ibi quoque aliquid, quod motum ciere aptum est, ponitur.

XI. Hoc mouens uel est in homine, uel extra hominem; eoque anima nec semper uult, quia interdum occasio uolendi deficit; nec, quando uult, sine causa se se mouet, moueturque.

XII. Ergo obiecta externa appetendi , seu uolendi copiam praebent.

XIII. Externum id omne appellamus, quod est extra ipsam uoluntatem. Quo sensu etiam cogitationes aliquid externi sunt.

XIV. Ea faciunt, ut anima uim suam euoluat eligendo , praesertim , si sub specie boni se se uiuide repraefentent.

XV. Ita enim a natura fumus facti , ut nunquam expetamus malum , quia deuitamus dolorem; et nunquam fugiamus bonum, quia eodem recreamur. Recreationem uero nemo mortalium respuet.

XVI. Eligendi uocabulum tam late capitur, ut etiam auersationem comprehendat simul.

XVII. Nam quando auersamur aliquid, eligimus sane aliud, et quando nonnihil eligimus, ab alio , quod docet experientia, auertimur.

XVIII. Ergo electio et auersatio differunt tanquam impulsus et repulsus, tanquam terminus a quo et ad quem.

XIX. Ipsa uero electio non caeco quodam impetu , sed intellectu in consilium adhibito , merito suscipitur.

XX. Propterea etenim homini mentis lumen inditum est , ut eo praelucente demum decernat, et secundum regulas agat , atque principia , non autem exceptiones.

XXI. Quare dubitandum non est , quin , si saperemus , uniuersa itemque singula curate simus consideraturi , antequam ad electiōnem , seu apprehensionem , procedendum iudicaremus.

XXII. Talis quippe prouidentia diuinae fa-

pientiae radius est. Neque enim aeternum numen sine ordine, ac regula agit, sine intellectu ac sapientia.

XXIII. Et ea uero homo in primitis indiget, quia, quae occurrunt, bona partim apparen-  
tia sunt, partim uera.

XXIV. Omne enim malum ab uno latere boni cuiusdam specie ludit, ac, dum impro-  
uidos inescat, amaritudinem suam in sinu ab-  
scondit.

XXV. Igitur ueri boni natura ante omnia detegenda est, ne anguem accipiamus pro  
pane, noxiū pro utili.

*O fortunatos simium, sua qui bona norunt!*

### CAP. III.

## DE VARIIS HOMINVM BO- NIS, EORVMQVE DIFFE- RENTIA.

### I.

ET bonum igitur uerum strictim breui-  
terque definiam, quod est sine malo.

II. Quae definitio iis forte displicebit, qui  
id demum bonum appellant, quod uires no-  
stras auget, iisque aliquid adiicit.

*Notentur *Bacchus*, *Lamius*, aliique clarissimi uiri, qui  
hic caecutiunt. Vnde huius erroris causa?*

III. Ego uero bonum, et sanitatem, inter-  
se comparanda censeo. Satis sani sumus, si  
nullo dolore afficiamur.

IV. Igitur bonum conditionem ac statum  
medium ponit inter uoluptates, quae titillant,  
et dolores, qui nos quiete priuant.

V. Vnde consequitur, ut, quidquid nos nimis uiuide afficit, et uires nimis propere ad auget nostras, malum sit. *Hippocrates* magnas uoluptates summa appellauit mala: cibi sapidissimi sanitati repugnant, odores penetrantissimi sensibus nocent: corpora lucidissima oculis damnum inferunt: etiam nimia scientia in malorum classem reponenda est.

... Sapientia prima est,  
stultitia caruisse.

Consideretur elegans *Michaelis Montani* dicterium, itemque *Horatii* gnome.

VI. Ergo bonum non uerum, sed apprens est, quod ab hoc statu medio nos abducit.

VII. Deus etenim sapientissima ratione res certa proportione descriptsit, atque in primis in homine partium omnium commodulationem fecit, ac naturalem inter se competentiam stabiliuit, quae statim rumpitur, quando potentiae incitatori motu agitantur, quam par est.

VIII. Ex quo iterum elucet, nos de bono in genere, de quo alii multa uerba faciunt, non loqui, sed de eo, quod est homini, adeoque comparete bonum.

IX. Elucet quoque, non esse bonorum distinctas species, honestum, utile, iucundum. Omne enim bonum uerum initio honestum uocatur, in medio seu progressu utile, in fine iucundum.

Notentur *Peripatetici*, qui uaria denominatione decepti uaria itidem bona somniarunt. Laudetur contra *Hobbesius*, qui hac parte ueritatem animaduertit.

X. Hoc uero uel ~~duo~~<sup>duo</sup> est, seu proximum, uel interueniens. Barbari mediatum appellant, atque immediatum.

XI. Illud uocamus, quod naturae hominis per se congruit, puta, uita, sanitas, sapientia, uirtus.

XII. Alterum uero interuenit, ac propterea necessarium est, quia sine eo commode obtineri, ac seruari hominis bona proxima non possunt. Eo pertinent, cibus, potus, disciplinae, occasio beneficiendi.

XIII. In his rursus, quoniam homo non unam uiuit uitam, nec aequae necessaria uidentur singula, unum altero praestantius est.

XIV. Inde est, quod minoris boni priuatio, et si ~~deceperat~~, malum est, inter homines tamen pro malo saepe non habeatur, si excellentiis ea ratione conseruetur, uel acquiratur.

XV. Hoc sensu melius est, amittere corporis membrum, quam mori; ac mori itidem, quam miserrime uiuere. Saepe etenim animi uita insigniter perficitur, cum ex hoc corpore discedimus.

XVI. Et hinc uero denuo elicitur, quomodo unumquodque bonum sit expetendum. Proxima enim per se quaeruntur: interuenientia, quantum ad ea acquirenda et seruanda sat est.

XVII. Quare infra percipiemos, quam inepte mortales iis utantur, quam inficte sperent, quam timeant stulte.

XVIII. Ab eodem principio diuidatio uariorum bonorum dependet, quae non adeo magna ac difficilis foret, si rationem homines exaudirent, eo que liberrimi forent.

XIX. Sed quia abuti iisdem possunt, ac reapse abutuntur saepius, quaesitum est, utrum corporis robur, pecunia, amici, doctrina, libertas, cetera, in numero bonorum sint putanda? de quibus nemo unquam fuisse dubitaturus, nisi contra rationem ea in pestem quam plurimi conuertissent. Vnde longam hic doctores historiam immiscuere, longas ambages.

XX. Ergo ad tale bonum oculos intendunt philosophi ad unum fere omnes, quod summum esset, quod noxiā facere homini nequiret. Sed iterum lapsi sunt uarie, quod ex sequentibus magis perspicue intelligemus.

#### CAP. IV.

### DE INEPTIS CIRCA SVMVM BONVM DISPVTATIONIBVS.

#### I.

**S**Vmmum bonum uoco, quod plene nos exsatiat, eoque pacatissimos reddit.

II. Cumque exploratum habeat anima, sibi que intime conscientia sit, se in seipsa, quo plene felix reddatur, non reperire, mirum non est, omnium gentium philosophos extra mentem quaesuisse, in quo acquererent.

III. Et sane, si felicitas humana huius tantum uitae interuallo contineretur, fatendum foret, haud multum interesse, siue quis in corpore, eiusque recta constitutione, siue in divitiis, siue scientia, siue fama, siue forma, siue uirtute, boni absoluti complementum collocaret: possent homines de eo, ueluti de gustibus, in utramque partem differere, nec Sardanapala forte

forte deesset, quod *Aristoteli*, multa de uirtute gannienti, obuiceret.

IV. Atque hinc, credo, factum est, ut in variis opiniones dilaberentur gentilium sapientes, animae immortalitatem praeteruecti, eoque bonum suae quilibet naturae conforme deligent: sicut apes dulce florum nutrimentum, scarabei uero aliud quidpiam, in quo, quamdiu existunt, uiuant et uoluntur, in usus suos separant.

V. Et quemadmodum uero, si loqui ac ratiocinari posset scarabeus, frustra exprobratus esset apibus, quod prae stercore exsugerent flores; atque hae uicissim illi, quod prae floribus haereret in luto: ita *Aristippus* seuerum merito derisit *Diogenem*, cum herbarum radices, tenuer corporis pabulum, euelleret, pisces suos praeferens.

VI. Nec mouet, potuisse tam unum convincre alterum, a se praestantius bonum esse electum, ab alio minus, ab uno uere bonum, ab altero malum. Nego id etiam, adfirmoque potius, disceptationem tam esse futuram ambiguam, quam quam de gustibus digladiantur conuiuantes. Perperam *Arnaldus* persuadere uoluptariis uoluit, eos dolore affici: nec fortius, puto, disputant, qui durabilius atque amoenius quidpiam in hoc, quam in ceteris bonis, animaduertere sibi uisi sunt. Moriuntur enim, inquiet, omnes; isque haud raro, qui seuere uiuit, tam est infirma ualetudine, quam qui cupiditatibus suis frena laxat.

VII. Igitur ante omnia animae humanae immortalitas in tutto collocanda est, si morum philo-

philosophiae maiorem conciliare dignationem cogitamus. Atque id, quamvis plures neglexerint, nos, qua fieri potest, perspicuitate, efficiemus.

VIII. Quod antequam exsequamur, quæstio facti euoluenda est prius, an uidelicet apud scriptores paganos de futura animae uita altum silentium sit? Posset enim enormis nobis antiquæ philosophiae inscitia obiectari, si affirmaremus, quod quaeritur.

IX. At, obiificant, licet. Nos cum *Mose Amyraldo*, atque *Baelio* hac parte consentimus, qui opiniones uulgi et sapientum iudicarunt discernendas. Ipse *Cicero* dubitanter hac de re loquitur. *Tacitus*, sub conditione parentibus defunctis uota fecit. Poetae uulgo se accommodant. Quamobrem relinquunt, ut doctrina de animae immortalitate apud præstantissimos gentilium in ambiguis fuerit collocata, a multis solius terroris cauſa crederetur ficta.

*Conf. Cicero de senectute cap. XIX. Tacitus in uita Agricolæ, sub fin. Bælius Repons. faites aux questions d'un provincial, Tom. IV, p. 321, seq. Amyraut traité des Religions, p. 141.*

## CAP. V.

# DE IMMORTALITATE ANIMAE.

## I.

**I**gitur pro certo adsumimus, nullum inueniri corporum, quae nostram subeunt notitiam, genus, in quo simile quidpiam menti nostræ deprehenderetur, quae, sicut intelligit, ita uult.

**II.** Quod si quis cognoscat eiuscmodi corpus,

pus, quam minutum etiam sit, quam tenue, quam subtile, is, ut indicet, officiose rogatur.

III. Qui aliud sibi corpus, quod esset anima, mente proponit, quam ipsimet uidemus atque experimur, is eam corpus incognitum appellabit, eoque, quod cognoscere se credit, non cognoscet.

Elt haec arguta *Jacquelot* responsio, quam uidesis in libello, quem praescripsit, *la conformité de la foy avec la raison*, p. 538.

IV. Id non nego, posse etiam mentem, praeter corpus crassum, subtili quodam uelamento inuolui, ut statuit *Leibnitius*: sed illud, ut patet cuique, non erit mens ipsa.

Console epistolam illustris auctoris, quam *Bagnagius* inseruit historiae doctorum litterariae A. 1705. p. 231.

Tu uero nota, nos de possibilitate tantum loqui.

V. Corporis idea uero faceſſente, faceſſet quoque omnis mutatio.

VI. Vbi enim aliquid immutatur, ibi aliquid uel adiicitur, uel detrahitur.

VII. Omnis detraetio, uel adiectio, partes ponit. Partes corpus requirunt.

VIII. Iam, cum anima humana corpus non fit, cessabunt, quae inde nectuntur, consequentiae.

IX. Quod est immutable, est immortale.

X. Omne immutable unum est atque simplex.

XI. Et huius simplicitatis atque unitatis intime sibi conscientia mens est. Nam, si e partibus constaret, adeoque unum non foret, unaquaque pars cogitaret etiam, adeoque plures una conscientiae uiderentur admittendae.

Dicatur, quare non nulli mentem unitatem uocauerint.

XII. Quid? quod totus mundus sentiret, ac cogitaret, lapides, ligna, cetera, si semel ue- rum foret, corpus, seu materiam, cogitare.

*Est haec Petri Baelii ratiocinatio in dictionario critico artic.*

*Lucrece. Commendetur Thomae Millefi tractatus de naturali animae immortalitate, qui ad obiectiones ua- rias Dodvvelianas respondit.*

XIII. Vtrum autem DEVs mentes possit de- struere, nemo dubitat. Sat est, in illis princi- pium corruptionis non inueniri: cumque men- tis desiderium sit infinitum, ac conatus in ea du- rabilis ac perpetuus, isque a DEO inditus, con- cluditur sane, ut nec DEVs uelit naturam adeo excellentem in nihilum redigere.

Eo etiam respexit praestans in Anglia mathematicus, *Ditton*, in libro, quem de ueritate resurrectionis Christi emisit.

XIV. Ex quo elucet, quam inepte ueteres exi- stimauerint, animam esse materiam subtilem.

Miratus est propterea Petrus Baelius, eos homini plures una animas non tribuisse, quoniam omnis materia est diuisibilis. uid. *continuation des pensées diverses sur la comète, Tom. I, p. 341.*

XV. Sed multo tamen ineptius argutatur *Henricus Dodvvellus*, qui animam sua natura di- xit mortalem, etsi non putat materialem. Pri- uilegium immortalitatis ex pacto, inter DEVVM et homines mera gratia facta, deriuat. Quae recitasse sufficit.

Dicatur de Clarkio et Millefo, qui argumentis sat uali- lidis *Dodvvellum* oppugnarunt.

## CAP. VI.

# DE SVMMO BONO.

## I.

**E**T iam uero si anima immortalis est, neces- sario consequitur, ut bonum, quod optat,

et

et in quo acquiescat, itidem debeat esse immortale, atque aeternum.

II. Ergo illa caduca, transeuntia, tempora-  
ria, quae in campis etiam Elysii sibi finxit pa-  
ganum uulgus, per se ruunt.

III. Tantum quaeritur, quodnam sit aeter-  
num atque infinitum illud bonum, quod desi-  
derii nostri sitim extinguat, quodque omni loco  
ac tempore obtineri a nobis queat?

IV. Et uidentur quidem ii, qui uirtutem  
crepant, atque de assimilatione cum d e o, et  
tranquillitate animi, uerba faciunt, haud procul  
ab eo abesse; sed uidentur solum.

V. Nam uirtus Stoicorum in effectu nihil  
aliud est, quam natura, natura fatum, fatum  
d e v s. Quis enim nescit, Stoicos ad Spinozae  
placita proxime accedere? ut taceam, eorum  
uirtutem ac sapientiam in affectatam et specu-  
latiuam quandam ~~ārādōsia~~, degenerare.

VI. Illa uero d e i assimilatio, quam Pytha-  
goras, Plato, aliique, suis commendarunt, in me-  
ram contemplationem itidem resoluitur. Vnde  
etiam Plato Θεος γνωμητης, hoc est, d e v m geo-  
metram existimauit ac dixit.

Ostendatur, quam inepte multi Platonis opinionem de  
summo bono extulerint.

VII. A quo non abludit Stagirita, qui, ut ut  
multis uerbis operationem secundum uirtutem  
optimam et perfectissimam effert, eam tandem  
in contemplatione uiri sapientis collocat, ut-  
pote qua homo similis d e o fieret.

Eo quoque Pythagorae ac Platonis adscensus merito re-  
fertur.

VIII. Epicurus autem, etsi in hoc recte sen-  
fit,

fit, felicitatem in priuatione doloris consistere; ignorauit tamen, quid nos vere indolentes praestet. Bene enim ab aliis iam monitum est, hunc sapientem, relicto in intermundiis deo, ad eandem, quam Pythagoras, Plato, Aristoteles, delegerant, speculationem & uacuitatem admirationis confugisse: ut silentio inuoluam, in eo conspirasse ad unum omnes, animam interire, atque in auras uanescere.

IX. At praecedenti capite iam demonstratum est, uitam beatam non esse, quae amitti possit. Sed amittitur uero, si cum corpore cesseret. Hinc *Aristoteles* mortem φοβερὴν φοβερότατην appellauit.

X. Nec refert, quod etiam *Tullio* placuit, aut nullos nos futuros, aut beatos: quis enim certum me reddet, non dari tertium?

XI. Idcirco non inficiatus est *Eudemontius*, Socratem sine tormentis neutiquam e uita discessisse: *Catorem* iratum in propria uiscera defaeuiisse: *Petronium* solum, ut decet Philosophum, ad plures penetrasse, quia sine cura, et quasi aliud agens, uixit, ac uiuere desit.

XII. Ergo secundum gentilium philosophorum, &c., qui eos sequitur, *Eudemontii* mentem, obliuio futurae uitae praesidium contra mortem erit.

Laudetur Godufredi Olearii dissertatio de morte contenta; addantur, quae *Petrus Baelius* sub uoce *Lucrece* adnotauit.

XIII. Ego uero haud temere adfirmo, hos homines uoluisse, ne, qui cogitant, cogitarent, sed ueluti bruta mortem securi ac sine ratione expectarent. Quod quam inhumanum sit, nemo est, qui non intelligat.

XIV. Itaque ulterius protendenda spes nostra est, inque eo tandem figenda, in quo tam in hac uita, quam in futura; desiderium nostrum finiatur.

XV. Atque id uero bonum deus est, quem, utut alii datorem omnis boni uocant, nos tamen pro summo bono merito habemus, et ita appellamus.

XVI. Nam pro diuersa consideratione, seu relatione, deus dator boni nominari potest, finis desiderii nostri, quid? quod ipsa felicitas. Si enim consideretur, prout nobis congruit, reuera bonum est: si spectetur, ut terminus ad quem, finis ultimus erit: si ut caussa omnium rerum, effector boni dicetur; et denique, si fistatur, prout eius possessio iucunditatem, seu indolentiam, nobis affert, felicitas appellabitur. Vnde, qui hic altercantur, in λογοειδειαν incident.

XVII. In bono autem supremo ac absolute merito acquiescimus.

XVIII. Acquiescere idem est, atque amare ex toto corde.

XIX. Amor autem, et si ex toto corde procedit, non omnem salutis propriae respectum excludit.

XX. Qui aliter rationes subducunt, in inanes abstractiones incident; & loco amoris puri speculationi inhaerent, quae uel in praxin deduci nunquam potest, uel ultimo iterum in recreationem, seu uoluptatem, cuius studium tantopere damnant, recidit.

Disserratur de controuerchia summi Cameracensis Praefusis, ac libris hinc inde in vulgus emissis.

**XXI.** Quae enim infania est, amare DEVUM tantum propter perfectiones, non autem, quae ab eo exspectamus atque accipimus, bona? Credibile est, eos, qui ita loquuntur, nescire, quid cogitent, differantue. Neque enim amor erit, de quo uerba faciunt, sed admiratio potius, aut stupor, aut etiam mera repugnantia.

Instituatur comparatio inter Fenelonii doctrinam, atque Epicuri philosophi; itemque inter Platonis cum DEO assimilationem, et amoris purissimi ideas.

**XXII.** Igitur nostra sententia amor DEI comprehendit amorem uerum sui, et proximi.

Adiiciatur aliquid de libro Thierfi, *de la plus solide des toutes les devotions.*

**XXIII.** Hic autem sapientiae diuinae subordinatur, quae omnibus rebus certam proportionem, pondus atque symmetriam praestituit, cui nihil addiici commode, nihil etiam demi potest.

**XXIV.** Eam si homo retineat, DEVUM amat, aut eius uoluntati obtemperat, qua enixe uult, ut omnes, quas accepit, facultates & perfectiones debito modo, hoc est, secundum regulas conseruet.

**XXV.** Id autem facere nemo potest, nisi qui et sui, et aliorum, sine quibus uiuere nequit, rationem habeat.

**XXVI.** Hae regulae a diuina mente procedunt, cuius nostra radius est.

**XXVII.** Atque id est gloriam DEI promovere, utpote quae partim in perfectionibus sibi propriis, partim in iis, quibus homo sapiens ornat, et effulget, consistit.

Dicatur de libro Sacra, quem de amore diuino conscripsit.

**XXVIII.** Ea ratione uero amor, quem commendamus, nec fanaticus erit, nec naturae humanae repugnans; sed fibi sufficiens, sed honestus, sed utilis, sed iucundissimus, hoc est, cum indolentia certissima coniunctus. Quod in progressu evidentius apparebit.

Commendetur *discours sur l'amour divin*, quem ex Anglicano sermone in Gallicum Amstelodami transalcre A. 1705.

## CAP. VII. DE DEO.

### I.

**S**ED frustra uero de summi boni fruitione, quod est D E V S, differimus, nisi prius certi reddamur, eum existere, & infinitis perfectiōnibus praefulgere.

**II.** Neque enim audiendi sunt, qui demonstrationes de D E O plane respiciunt, aut rem adeo facilem atque perspicuam arbitrantur, ut nulla ulteriori probatione opus sit.

Notetur Gabriel Biel, qui, Deum existere, uerissimilibus suaderi rationibus creditit, demonstrari negauit: eadem fere opinio a Georgio Calixto Wittenbergensis olim fuit attributa.

**III.** Nos operae quidem pretium existimamus, demonstrare Deum; sed pluribus id argumentis ad liquidum posse deducere certi sumus.

Reste Baetius demonstrationem de DEI existentia profundissimam philosophiam appellavit.

**IV.** Vnum tamen, fatemur, uisidius alterius sensus ferit, eoque anterioribus oculis uidetur collustrandum: nonnulla autem leuioris, aut nullius etiam ponderis sunt.

V. Sal-

V. Saltem ad hanc classem pertinent, qui, cum Cartesio, ex idea perfectissima innata Deum demonstrare conantur. Aliud quippe est, rem perfectissimam etiam existere, et aliud, existere ens longe perfectissimum, quod est demonstrandum. Id Abbas *Brillonus* contra *Laquelotum* in primis ursit.

*Euoluc ephemerides Parisenses anni 1701.* p. 25. seq. Respondit Brillono *Franciscus Lamius* in *memoriis scientiarum ac artium Treuultianis* eiusdem anni, p. 104. edit. Batau. sed, quoad intelligo, difficultates non sustulit.

VI. Nec felicius procedunt, qui populorum multorum consensum in substdium uocant: est is ad polytheismum potius, quam ad ueram deo sententiam stabiliendam, aptior.

Notetur *Jacobus Bernhardus*, qui multum huic probatio[n]i tribuit, quam *Baelius* contra argumentis ualidissimis destruxit.

VII. Haud maiori firmitate *Erbardi VVeigelii*, Professoris quondam Mathematum Jenensis, demonstratio nititur, qui omnibus momentis totum nouari mundum credidit; quod quum a nulla re in mundo effici queat, extra mundum inueniri putauit indefessum et infinitum rerum omnium conditorem. Sed ostendendum est prius, res creatas continuo ex nihilo prodire, & in id statim redigi, nec, nisi ens necessarium, ultra momentum durare.

Vid. *VVeigelii Philosophia Mathematica*, p. 33. seq.

VIII. Magis est, ut quaeratur, utrum etiam via cauſalitatis, quam scholastici, ac multi etiam recentiorum, magni fecerunt, in eandem classem sit referenda? Fecit id *avopuus* in actis eruditorum aucto[r]um, qui bile commotus, quod *Rapsonus*

Anglus a *Leibnitii* opinionibus quibusdam recessit, omnem in eum inuidiam inficitis obiectioribus euomuit.

In primis autem absolum est, quando axiomati, *omne finitum posse ut non existens concipi*, obiicitur, Epicuri sectatores negare hoc postulatum, et putare atomos suas existere necessario: quod idem est sane, ac si quis contra *Leibnitium* adstruat, *Epicureos* omnem mentem ac sapientiam a mundi structura remouere, ergo concidere infinitae sapientiae argumentum.

IX. Meo iudicio *Raphsonas*, et, quem hic sequitur, *Ioannes Lockius*, recte rationes subducunt, quando a propria, vel a certa cuiusque rei existentia, ad causae aeternae existentiam argumentum nexuere. Quod enim nihil est, aliud sane producere non potest. Sed cum uero aliquid reaperte sit, & existat, necessario consequitur, ut ab omni aeternitate aliquid fuerit. Nam nihil nihil efficit; quin absurdum est, aliquo momento nihil fuisse; idque, quod non existit, fecisse, ut aliquid existeret.

X. Progressus in infinitum mathematicus imaginarius est: progressus circularis notissimas causae et effectus ideas confundit: progressus uerus in infinitum, quo a causa ad causam ascendimus, repugnat. Necesse est enim, ut iam omnes causas ponamus. Si uero omes causae iam sunt positae, ponitur etiam prima. Vbi prima est, ibi subsisto. Vbi subsisto, progressus terminatur. Ergo fieri nequit, ut in causis subordinatis ascendas in infinitum, quamvis possis descendere. Nam positis omnibus causis non omnes statim ponuntur effectus.

Indicetur, quid Mathematicos decipiat, quando processum in infinitum formans.

XI. Cui non obest, quod obiicis, quis iubeat, ut iam omnes ponantur caussae. Regero enim, caussas, a quibus ego dependeo, aut res aliae, fuisse omnes, primamque uel periisse, uel extare adhuc. Si extat, habebis D E V M ; siu minus, redde rationem, quare finem acceperit, quod non habuit initium. An res illa se ipsam destruxit? an destructa est a secunda, quae pendit a prima?

Hac ratione etiam *Joannes Clericus* rationes subducit in pneumatolog. scđt. III, cap. I, n. 10.

XII. Igitur mera repugnantia loquuntur, qui progressum in infinitum crepant, aut circulum menti proponunt, qui itidem in meras contrarietates incidit.

XIII. Verum tamen fateor, non esse negligendam alteram, quam *Leibnitus*, vir clarissimus, in medium attulit, probationem, ab infinita sapientia deductam, etsi non attulit primus, sed cum hypothesi, quam *harmoniae praestabilitae* nomine insigniuit, denuo tantum connexuit.

Etiam *Petrus Baelius* ac *Iaque lotus* non nihil roboris huic argumento tribuunt, utut postremus *Cartesii* demonstrationem a *Verenfelsii*, Professoris Basileensis, obiectionibus peculiariter schediasmate vindicauit, quod *Basilius* Historiae doctorum litterariorum anno 1700. mense Maio legitur insertum p. m. 199.

XIV. Quis enim negabit, mundum, qui mere contingentium est congeries, materia ad motus, figuras, et ordinem quemlibet apta, a ratione, quae extra mundum inuenitur, esse determinatum? Quod si uero datur cauſa mundi, ea que intelligens et uolens, ut quae ex pluribus, qui fieri poterant, mundis elegit unum, relinquitur sene, ut ea appellari debeat D E V S.

XV. Haec demonstratio priorem magis ex-polit, atque adiuuat. Neque enim tantum da-tur caussa rerum omnium, uerum illa etiam sa-pientissima est, simulatque potentissima; quo-niam ad omnia, quae possunt fieri, extenditur. Est praeterea summe bona, quod mundum opti-mum elegit, ac ratio electionis ad liquidum statim potest deduci: est unica numero, quo-niam inter se aptissime omnia cohaerent; quod non foret factum, si plures caussae numero distinctae concurrisserent.

XVI. Sed non est tamen existimandum, pro-prietates diuinas priori modo non posse tam euidenter ostendi. Ostendit eas *Hobbesius* in li-bro de *cive*, quem imitando expressit *Puffendorfius*. Nam fac, omnia, quae sunt, dependere a causa prima et infinita, id est, omnes perfectiones ha-bente; erit sane potentissima, et sapientissima, et optima: quoniam in ea omnis reperitur poten-tia, ac perfectio, eoque bonitas et sapientia: erit etiam unica, quoniam est prima, abque ea pen-debunt res sane omnes, ut effectus a caussa dis-tincti: erit itidem materiae expers, quoniam alias habitura foret terminos, eoque pacto nec concipi posset, ut infinita, nec ita etiam appellari: erit potius omnipraefens, quod infinitum nulli loco includitur, nullo etiam excluditur: et omniscia, quoniam sapientia et mens est in-finita, eoque prouidentissima.

XVII. Ea ratione uero *Spinozae* deliria eui-tabimus, ut qui res omnes unius tantum rei di-uersas modificationes ac partes, adeoque mun-dum cum ueteribus Philosophis naturam, seu DEVm, dixit, eumque ineuitabili fato subiecit.

Respondeatur *Ioanni Alberto Fabricio*, qui ueteres Philosophos ab atheismo absoluuit.

**XVIII.** Simili pacto *Epicuri* fortuitus atomorum concursus corruet, partim, quod mundus a DEO dependet, tanquam caussa perfectissima et aeterna; partim, quod omnia, quae uideamus atque intelligimus, infinitam sapientiam arguunt. Quae enim *Lucretius* obiecit, inficeta sunt, ac satis confutata a doctissimo Dublinensem Episcopo, *Guilielmo Kingio*.

Existimauit *Baelius*, Epicuri opinionem, de mundo forte fortuna orto, infirmis rationibus inniti; quae ab hominibus leui eruditione tinctis queant confutari. *Kingii* liber de origine mali multa doctrina est refertus: quamuis de libertate minus philosophetur accurate.

**XIX.** His uero constitutis concident itidem bina, quae *Manichaei* finxerunt, principia unum boni, alterum mali: nec minus erit absurdum, D E V M appellare caussam mali moralis. Nam posteaquam D E V S uoluit optimum, fieri sane non potuit, quin, quae ab optimo declinant, sint mala poenae, seu physica, eaque in primis animantibus intellectu praeditis sint obiecta, ut obtineant, quod suae naturae optima ratione congruit, ac iis destinatum est diuinitus. Malum culpae in homine quaerendum est, non autem D E O summo, seu alio quodam principio externo, quod diuersis nominibus expresserunt gentiles.

Dicatur de Persarum *Orimesde*. et *Ariamanio*.

**XX.** Etsi enim etiam malum morale est in possibilium classe, quia D E V S optimam universi seriem elegit, in qua peccatum intercurrit; non potest tamen huic attribui ipsa peccati

*cati productio*, sed ad summum *permisso*. *Permissio autem inde potissimum defenditur ut legitima*, quia, dum *DEVS* contingentium seriem ratam habuit, *contingentiam* sane eorum, seu euentum anticipitem, nec mutauit, nec salua sapientia et voluntate sua mutare potuit. *Quod vero talem contingentiam illa natura non deuitauerit, ex eo est, quod rebus conditis qui-* buscunque certos limites praefixit, *quae, si ca-* rerent limitatione, non sane res forent creatae, *sed DEVS ipse*.

Haec philosophia illustri Leibnitio debetur, et Galileio Kingio, qui ei in multis consonat. Differatur de Petri Baelii, Clerici, Bernardi, Placetti, aliorumque in hac causa libellis.

XXI. Ergo recte ex antecedenti cogitur, positiuum, seu ponens, a uirtute impellantis esse; privans, seu ~~repellens~~, ab inertia impulsi. Inertia vero homini merito adsignatur. Vnde autem illud inertiae contagium in universum humaanum genus fuerit derivatum, merito indagant Theologi.

XXII. Quocirca iterum relinquitur, ut cum *DEI* sapientia tam mirabiliter omnia determinauerit; eiusque potentia tam affabre efficta in lucem produxerit, is etiam pro Domino longe optimo habendus, adeoque summopere sit comprehendens.

Quae si *Baelius*, utrum, qui *DEV M* credit existere, a cultu eius possit abstinere? et ostendit, Epicurum, aliosque populos, cultui diuino nihil temporis consecrassae, utut *DEV M* admiserunt. Sed causa huius neglectus in eo ponenda uidetur, quod uel fato regi omnia existimarunt, uel *DEV M* a mundi cara longissime remouerunt.

XXIII. Colere significat magni aestimare.

XXIV. Sed eum nero merito facimus magni, in quo infinita bonitas, coniuncta cum potentia, obseruatur.

XXV. Opinio autem haec nel in animo confitit, uel foras fese exserit, eoque cultus in internum merito, atque externum, dispescitur; externus in uerbalem ac pragmaticum.

XXVI. Igitur qui DEVM uere colit, ei seruit, seruit mente, seruit lingua, seruit opere.

Disputatum est a viris doctis de cultus externi necessitate, an eam ratio praecipiat. Sed puto, mentis praectionem fecisse, ut necessitas ex ratione impugnaretur. Neque enim homo tantum mens est: homines autem, quod opinantur, etiam externis signis produnt. Ex quo manifestum fit, quaestionem de cultus externi necessitate eo recidere, an homines non tantum cogitare, sed etiam loqui, debeant? loquentur autem sine dubio, quia et animo constant et corpore.

XXVI. Seruire DEO, significat, uoluntatem eius sanctissimam itemque sapientissimam adimplere.

### CAP. VIII.

## DE VOLVNTATIS DIVINAE ADIMPLETIONE.

### I.

**V**T DEVS totum mundum ob certum finem fecit, ac produxit; ita etiam hominem non sine ratione formauit, atque in hunc mundum introduxit.

II. Formauit autem sapientissime, eumque et mente donauit, et corpore, atque has res, quod probat experientia, arctissime coniunxit.

III. Coniunxit, ut homo eo pacto uiueret, et ordinem, quem ei praestituit, exacte obseruaret.

IV. A quo ne aberaret, fecit; ut ne deessent argumenta atque indicia, quibus moneretur de periculis sibi impendentibus, quae dolorem excitare apta sunt, aut laefionem, aut partium omnimodam dissolutionem.

V. Omnis autem laefio, et continui dissolu-  
tio cum doloris sensu coniuncta est, quam uix millesimus, imo nemo mortalium, euitaturus foret, nisi eiusmodi morsus, aut lancingationes, nos certiores redderent, quid faciendum sit, quidue omittendum.

VI. Igitur fames, fitis, Veneris stimuli, aliaeque innumera, innumeris appetitionibus locum faciunt, quae, et si dolores appellari possunt, a summo tamen Numine adeo congruenter, adeo mirifice omnes dispensantur, ac disponuntur, ut doloribus interuenientibus declinemus dolores, ac commoda mille, infinitasque uoluptates persentiscamus, quae ueram indolentiam felicitatemque progenerent.

VII. Ita famem fitimque sensibilis satisfactio consequitur, si prehendamus cibum, si accipiamus potum: labor uero facultatum, quibus instructum est animal, moderatum exercitium est: somnus uires reparat: generatio genus humanum immortale reddit.

VIII. Quibus finibus obtainendis iterum infinita tam in mente, quam corpore, inferuiunt, ut suauissima tandem harmonia, ac partium omnium consensio, excitetur.

IX. Itaque ex doloribus, et, quae hos con-  
sequuntur, uoluptatibus, spes enascitur, itemque timor

**timor, seu metus, quae mediorum rationem obtinent, ut naturae, quam accepimus, conformiter agamus.**

Debentur haec omnia doctissimo Dublinensium Praesuli, *Guilielmo Kingio*, cuius luminiibus hac parte illustris quoque *Leibnitas* usus est.

**X.** Sed hanc naturam DEVS sapientissima ratione praeuidit atque elegit, ac, quia potentissimus est, in lucem prodire iussit, et consequenter, quia produxit, uoluit, ne ullo modo quassetur, laedatur, destruatur.

**XI.** Ex quo concluditur, non uoluisse eum pro arbitrio, non praecepisse ut despotam, nec stetisse pro ratione uoluntatem, sed quia optimum semper intelligit, ac, quod unicuique conuenit, uidet, aliter sane, quam intellexit, praecipere, aut uelle, non potuit.

**XII.** Ergo non potuit non ab homine exigere amorem sui, atque amorem proximi; utpote quo omnis honestas humana absoluitur, iustitia, prudentia.

**XIII.** Non potuit autem ei praecipere uitium; quia essentiae hominis repugnat, et haec uero, ut rerum omnium, est aeterna.

**XIV.** Ut enim circulus, triangulum, materia, certas habent proprietates, de essentia sua emanantes; ita actiones hominum sunt bonae, sunt itidem malae, quia naturam rationalem uel perficiunt, et conseruant, uel laedunt eandem destruuntque.

**XV.** Ergo uirtus uirtus est, quia perfectioni humanae naturae inseruit, aut, quod est imperfectum, remouet. Vitium uero uitium appellatur, et est, quod perfectionem destruit, aut aliquid in ea immutat.

Egregia sunt, quac Petrus Baelius hanc in rem adtulit  
*dans la continuation des pensées diverses sur la Comète,*  
 cap. 152, p. 771, seq.

XVI. Talis uero immutatio diuinæ uoluntati repugnat, quoniam id, quod opus diuinum destruit, supremo Numini non displicere non potest.

XVII. Hinc DEVS à dñe peccatis dicitur irasci, et si homo sibi ipso quam maxime nocet.

Vide Kingii appendicem primam, quam tractatui de origine mali subiecit, quaeque de legibus diuinis agit.

XVIII. Is enim sapientissime omnia ordinavit connexuitque, et, ut connexa perdurent, uoluit.

XIX. Ergo adimplere uoluntatem diuinam est proportionem naturae humanae conseruare eamque perficere, ac, quod eidem repugnat, remouere.

Theologi coniunctionis cum DEO mentionem faciunt, et amoris divini : quod, si explicentur uocabula, eodem recidit.

XX. Itaque sine uoluntatis diuinæ agnitione serio nemo uirtutem se habetur, quamuis suaderi eam atheistus perspiciat saepe.

XXI. Ut enim potest esse geometra, quamuis intellectum diuinum, qui omnium ueritatum causa est, ignoret ; ita etiam ueritates morales mentis acie adsequi potest, ut ueritatem earum nesciat.

XXII. Quod si uero affectibus commotus a via declinauerit, se errasse fatebitur forte, peccasse nunquam.

XXIII. Igitur perfectius ratiocinantur, ac fortius constringuntur, qui DEI inuisibilis timorem cognitioni naturali de uirtute adiungunt, eamque adiungendam esse uident.

**XXIV.** Atheus dimidiam duntaxat ueritatis moralis partem perspicit. Cernit aliquando utilitatem, uitae uero honestae necessitatem non uidet itidem.

**XXV.** Necessitatem appello, ubi aliquis cognoſcit, ſe non tantum errare, ſi agat aliter, uerum etiam, ſe grauiſſimas aliquando, praeter dolores naturales, ſubitum poenas, ſi abludat a ſcopo a ſuperiore praefixo.

**XXVI.** Ergo timor DEI rationalis atheum a non atheo ſeparat.

**XXVII.** Timor irrationalis ſuperstitiosum ab homine probo diſtinguit.

**XXVIII.** Nam ſuperstitiosus nimium timet, ſeu metuit: metuit DEVUM, metuit iratum despotam, ut ſeruus; atque hinc ineptus oritur ex metu immodico cultus, itemque abſona ex parte altera ſpes.

Declaretur hoc ex ſuperstitiōſis gentiliō ritibus ac praxi hominū quotidiana. Diferat de Baelio libello, quem peneſes diuerſes ſur la comete praescripsit.

**XXIX.** Vtrum uero atheus peior sit ſuperstitioso, an hic illo, abſona quaefatio eſt; quia tota genere diuerſa comparat: eoque andabatarum more pugnantibus merito relinquitur.

Dicatur de libellis hinc inde a Baelio, Tollando, Fayō, Bernhardo, in uulgas emissis. Compendentar Beneficii miscellaneae contra Tollandum obſervationes.

### CAP. IX.

## DE VIRTUTE MORALI.

### I.

**V**irtus a ui atque robore nomen habet, eamque Pythagorici haud itamerito uim atque

atque robur animae appellarunt. *Tullius* breuissime rectam rationem dixit.

II. Haec autem ratio digni intellectus ac uoluntatis quaedam repraesentatio est, quam sequi conuenit.

III. Quod si Stoici tam bene essent opinati, quam locuti sunt magnifice, et nobis quoque eorum probaretur dogma, quando rationem et DEVUM sequi, et uirtuti operam dare, promiscue adhibent, et coincidere scriptitant.

IV. Est enim necesse, ut ad eadem feramur, quae ipse DEVVS ordinavit, et ad quae ferri homines ex sua sententia uoluit.

V. Hoc quippe est sequi, quod simpliciter uidetur optimum.

VI. At cum haec uerba nimiam praecisionem mentis sapiant, apertius indicandum est, quid nobis optimum sit, accidatque.

VII. Id uero melius inueniri ac detegi uix potest, quam si corporis animaeque coniunctionem exactius rimemur, ne appetamus, quod appetendum non est, itemque timeamus, quod timendum neutquam uidetur.

VIII. In hoc omnis aberratio moralis consistit.

IX. Ergo tene: DEVUM uelle, ut tu, ut ego, ut homines, uiuant, perennentque feliciter, ac sine dolore.

X. Viuere et animae et corporis uitam comprehendit:

XI. Cui semper aliquid adimitur, quoties sapientissimam hanc oeconomiam turbamus.

XII. Itaque oculi, aures, omnesque, quibus DEVVS nos instruxit, sensus, manifeste produnt, quid

quid appetendum cordate, quid fugiendum sapienter.

XIII. Cumque mens non possit esse sana, nisi in corpore sano, prima et unica uirtus surgit, seruare proportionem humanae naturae congruentem, eamque, quantum in nobis est, ad regulam perficere. Eam charitatem merito appellabimus.

XIV. Et haec autem a se ipso dicitur incipere, ac tum demum transfire ad alios, sine quibus commode beateque uiuere non possumus.

XV. Nudum namque et infirmum hominibus societas seruat, munit, recreat.

XVI. Ergo charitas uniformis in se diuersas denominations sortitur, prout uel ad nosmet ipsos refertur, uel ad alios, quibuscum DEVS nos in sanctissimam societatem compegit.

XVII. Primo respectu temperantia uocatur, posteriori aequitas.

XVIII. Ea uero ratione non diu erit inquirendum, an uirtus DEI donum sit. Nam si est ratio, haecque diuinae prouidentiae quidam radius, dubium erit nullum, quin uirtus a deo descendat a patre lumen.

Notentur auctores alias non proletarii, qui ex Homero, aliisque gentilium scriptoribus, probarunt, uirtutem donum DEI esse.

XIX. Patebit quoque, eam habitum, seu expeditam agendi facultatem, includere, quoniam impetus aliquando faciendi, quod rectum est, qui mox iterum cesseret, nec rationis, nec uirtutis nomen promeretur.

Explicetur, quid Stoici perpetuam et constantem appellauerint voluntatem.

XX. Non multum etiam negotii facesset controuersia, quam de mediocritate excitarunt non nulli, utpote in qua primaria uirtutis ratio ab Aristotelicis collocatur. Nam, quum charitas sit ipsa recta ratio; facile est ad concludendum, perperam eidem praescribi terminos, seu extrema, intra quorum ambitum, ueluti rosa inter spinas, sese coerceat. Ipsa charitas dimentitur omnia. Satis est, si rectum sit, quod quaevis atque eligis: ut taceam, quae *Hugo Grotius* mediocritati Aristotelicae, itemque *Henricus Morus*, obuerterint.

Laudetur illustris *Thomafius*, qui uno i<sup>o</sup>nu decantatam mediocritatem concidit.

XXI. Inde simul elucet, quam inutiliter se torqueant, qui uirtutes primitivas sollicite fabricant, aut de uirtutum modis, diligentia, obedientia, simplicitate, ac sinceritate, nimis acute disputant. Quamuis enim uera sint, quae copiose de his proprietatibus differuntur; tamen iam latent omnia in rationis charitatisque integra idea. Nam qui ambitione, auaritia, uoluptate, ducti, actionem suscipiunt, non rationem, sed aliud quidpiam, sequuntur.

XXII. Magis est, ut de profectibus in uirtute simus solliciti. Nam utut aliquis expedite et cum facilitate sectatur, quod bonum est; non tamen uno saltu ad ~~summam~~, seu summam perfectionem, pertingit. Hoc qui tenet, Plutarchi demum libellum intelliget, cui titulus: *Quomodo quis ad uirtutem se proficere sentiat?*

XXIII. Intelliget enim, quam non dissentiant Stoici, qui nullum in uirtute dari profectum adfirmant. Nam hi de perfectione summa lo-

quuntur: alii de initio, cum expeditissima facultate coniuncto, uerba faciunt. Priori sensu virtuti, ut numeris, sine mutatione speciei, nihil potest addi: unitati uicissim, quae initium numeri est, aliquid haud raro adiicitur, adiisque potest.

XXIV. Quare nihil reliquum est, quam ut uocabulum charitatis, seu amoris, ab oppugnantium telis defendamus. Quamuis enim non nulli existiment, non posse totam uirtutis fabricam affectui commode superstrui; recte tamen regeritur: non omnem appetitionem, seu affectum, esse motum incongruum. Omnis namque uirtus est appetitio, sed recta, sed rationi conueniens: est etiam motus, sed beneficus. Vno uerbo, uirtus est constans et uitalis bonitas, qua nihil ad d e i benignitatem et sapientiam accedit proprius. Praestantissimum namque eorum, quae in nobis sunt, ratio est, aeternae prouidentiae certissima imago. Haec sustinet, haec abstinet, haec efficit denique, ut et nostram et alienam felicitatem enixe promoueamus.

## CAP. X.

## DE TEMPERANTIA.

## I.

**N**emo se ipsum odio prosequitur. Ergo a nobis incipiamus primo; quidque intuitu nostri praecipiat charitas, uideamus: ut ea posthac mensura amoris sit, quem debemus aliis, i. e. proximo.

II. Quo intuitu eam, in capite praecedenti generali, temperantiae nomine insigniuimus.

III.

III. Temperantia uero duabus rebus absolvitur, continentia et tolerantia.

IV. Continentia corporis uoluptatibus moderatur, quae sensibus percipiuntur.

V. Sensus plures sunt, gustus, tactus, olfactus, uisus, auditus, et si qui forte sunt alii.

Notentur Stoici, qui unicum sensum, tactum, statuerunt.

VI. Animalia, utpote expertia rationis, nulla in sensionibus regendis moderatione seu temperatura indigent. Instinctus naturae primas hic partes tenet.

Differatur de animalium cupiditatibus, quas homines saepe corrumpunt.

VII. Hominum uero cupiditas, ut saepe infinita: ita regenda seu cohibenda est potius, ne quem deus constituit, ordo perturbetur.

VIII. Et hic uero non tam uoluit, ut nullo voluptatis sensu afficiamur, sed ne irrationali-

IX. Irrationalibile autem est, quod nostram felicitatem, quam deus intendit, hoc est, uitam, animae corporisque, destruit, ac destruendo dolores progenerat.

X. Nam posteaquam deus animam et corpus in unam societatem traduxit, uoluit sane, ut hoc illi, et illa huic, congrue inferuiat.

XI. Corpus uero nec praestare animae auxilium, nec sui simile potest producere, nisi nutriatur, quantum sat est.

XII. Hinc peccant, qui debita alimenta corpori subtrahunt; peccant etiam, qui in quantitate modum excedunt.

XIII. Quantitas et qualitas uniuscuiusque prudentiae relinquitur.

XIV. Prudentia uero omnibus humanis bonis,

nis, tanquam mediis ad conseruandam natu-  
ram humanam necessariis, fruitur, non autem  
in iis felicitatis omnigenae finem constituit.

XV. Hic usus attentionem atque ordinem  
flagitat.

XVI. Talis ordo, respectu Venereae uolu-  
ptatis, coniugium est, quod propterea uide-  
batur necessarium, partim, ne uagis homo li-  
bidinibus indulgeret, partim quoque, ut foe-  
tus rite educetur. Ceterae coniunctiones uel  
imperfectionis aliquid continent, uel a scopo  
ab ludunt.

XVII. Qui cibo et potu moderate utitur, so-  
brius appellatur; qui uoluptatibus tactus fre-  
num decenter imponit, castus.

XVIII. Non autem is frenum censetur im-  
ponere libidini, qui obscoena libenter audit,  
legit et loquitur. Sed probe inquirendum est,  
quid sit libenter audire, legere et loqui obsco-  
ena, ne hominum innocuorum famam com-  
macules.

Dicatur de Baelii et Osterwaldi libellis de obscoeni-  
tate verborum agentibus.

XIX. Neque etiam illi purissimorum homi-  
num speciem prae se ferunt, qui otio diffluunt,  
odoribus fragrantissimis multum tribuunt, mu-  
sicae sonos incitatius sectantur, aut mollibus  
gestibus rebusque delectantur, aut alias quo-  
que ad spurca et illicita irritare conantur.

Inspergatur aliquid de Musicae recto usu et abusu. Ex-  
cutiantur questiones, utrum delicatiore cibo uesti,  
atque interessc lazieribus conuiuiis liceat. Dicatur  
de saltationibus, comoediis, fabulis Milesiis, seu ama-  
disiis, lusionum variis generibus, iocis cacteris..

XX. Alterum temperantiae ramum tolerantiam appellauimus, quae a continentia in eo potissimum differt, quod illa corporis voluptatibus, quae homini gratae uidentur, moderetur, haec uero, quae homini ingrata accidunt, invicto labore sustineat.

XXI. Quod extremum tanto magis apparet necessarium, quanto certius est, non posse eum uirtute praeditum dici, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem, uel alia incommoda, quorum ipse auctor non est, ratione seruili metuit. Virtus enim animi quoddam robur, seu constantia, est, cui omnis infirmitas et inquietudo e diametro repugnat.

XXI. Vnde parum censemur tolerantes, qui affectibus suis huc illucque rapti, perpetuo statum suum lamentantur, pluribus non necessariis inhiant, fiduciam in perituriis collocant, futura anxie expectant, et eiuscemodi cogitationibus intempeste afflentur.

## CAP. XI.

### DE AEQUITATE.

#### I.

**N**on foret aequitas, nisi plures essent homines. Inde non male hanc uirtutem bonum alienum aliqui uocarunt.

II. Nam posteaquam **DEVS** ita homines constituit, ut in solitudine non nisi cum taedio uiuant uniuersi, taedium autem dolor fit, relinquitur sane, ut omnibus grata appareat societas, nec nisi corpore menteque aegris interdum displiceat.

Examinentur, quae in hauc rem Stoici, Cicero, Seneca, et recentiores, Grotius, Puffendorffus, Lamius, Thomassus, attulerunt. Inspergatur aliquid de vita solitaria veterum Philosophorum.

**III. Societas uero sine coniunctione concipi non potest.**

**IV. Coniunctio amorem , seu charitatem, requirit.**

**V. Charitatis autem idea significat , homines in adiutorium mutuum esse generatos , nec , ueluti bruta animantia , sine societate subsistere.**

**VI. Vnde consequitur , ut amori proprio sit adiungendus amor aliorum , qui nobiscum una uiuunt.**

**VII. Secus qui facerent , inepte pilaute: farent , suisque rebus absone prospicerent.**

**VIII. Alii uero natura nobis aequales sunt. Eadem mens , idem corpus, eadem perfectiones , iidem defectus illam similitudinem satis ostendunt ac probant : quamuis uel propria culpa , uel pactorum uis non nihil diuersitatis introduxerit.**

**IX. Ex quo concluditur , eadem esse aliis concedenda , quae concedi nobis postulamus , nec facienda esse alteri , quae nobis fieri nolumus.**

**X. In quo omnis aequitatis ratio fundatur.**

**XI. Ea quippe nec imponit cuiquam , ad quod neutquam obligatur ; nec demit , quod debetur , nec inaniter se effert ; sed omnibus potius commodissimam sese praebet atque exhibet.**

**XII. Vnde tres nouae denominations oriuntur: modestia , benevolentia , iustitia.**

XIII. Modestia , ut nemini fese praefert , ita cuique , quod citra pactum eius est , relinquit , omnemque superbiam deuicit . Benevolentia plures sibi deuincit ; et est humana , benefica , amica , sincera , mansueta . Iustitia pacta respicit , et quod cuique debetur , tribuit .

XIV. Modestiam adeo late capimus , ut simul animi humilitatem comprehendat , qua quis sibi interdum , ubi commodum uidetur , minus , quam aliis , tribuit . Nam etsi uulgo talis depressio a nemine exigitur ; facile tamen apparet , eum a superbia remotiorem , & multo futurum amabiliorem , qui etiam hac parte se ipsum abneget .

Vnde intelligitur , quid sentiendum sit de disputatione eruditorum ; quorum aliqui inquirunt , utrum humilitatem recta ratio praeципiat ? Laudetur hac in causa Hubbesi philosophia .

XV. Primus benevolentiae gradus est humanitas , quae rem innoxiae utilitatis sine distinctione cuique , siue externus sit , siue indigena , siue diues , siue pauper , siue imperans , siue subditus , permittit .

Explicetur , quid sit res innoxiae utilitatis .

XVI. Secundus , uti maior ; ita beneficentiae peculiari nomine signatur . Neque enim haec sine nostro incommodo peragitur .

Dicatur de Seneca libris , quos de beneficiis inscripsit . Deficiunt in iis leges bonae methodi : quamvis rerum utilium copia hinc inde appareat dispersa .

XVII. Nemini autem cum nostro inferuimus incommodo , nisi quem nos ex peculari causa amamus , isque nos uicissim : secus si fiat , beneficium uiscatum est .

Dicatur, quam sint inepti, qui, amicitiam omnem respuentes, amare contendunt.

**XVIII.** Quem amo, magni facio et aestimo.  
Ergo necessario aestimatio beneficentiam prae-  
cedit.

**XIX.** Non autem aestimamus, nisi qui often-  
dit, se amore nostro esse dignum.

**XX.** Ostensio signa flagitat. Signa uel sunt  
naturalia, uel artificialia. Illa oculis, corpore,  
aliisque gestibus, sese produnt, et apud omnes  
homines gentesque conspirant. Artificialia di-  
uersa sunt, et ubique locorum uariant. Vtraque  
conuenienter attendenda, et secundum mores  
cuiusque ciuitatis adhibenda sunt.

Dicatur de decoro externo, et libello *Curtini*: de ciui-  
litate Gallica. Iudicetur de libello *Joannis Casae*,  
quem de morum honestate inscripsit. Addatur ali-  
quid de *Guazzi* cogitatis: de conuersatione erudita,  
cui *Morbofius* peculiare caput destinauit.

**XXI.** Ciuitate enim et placentia, siue *apoteosis*,  
quasi prodrromis, utimur ad parandam amici-  
tiam; quae tunc demum paullisper cessat, cum  
plenis sese uelis amicitia ingerit.

**XXII.** Ergo ciuitas et placentia uirtutes  
sunt amicitiam conciliantes.

**XXIII.** Amicitia autem uirtutis reciprocae  
fiducia est, adeoque beneficentiam recipro-  
cam generat.

**XXIV.** Ergo aemulatio omnis, et zelotypia,  
inter pectora fere amica exulat, quia haec fidu-  
cliae expers est.

Notetur uanus ut plurimum in fabulis amadissis amor:

**XXV.** Ergo etiam inter inferiores et maxi-  
mos primariosque uiros, si uirtutis utrinque  
sint capaces, amicitia conglutinari potest, quam-  
uis

uis iisdem signis amorem non semper prodant. Ita sufficit, si potentior renidente me uultu adspiciat, quamvis non aperiat caput; si commodis meis aetate prospiciat, quamvis externis gestibus parum me colat; si subleuet, ubi potest, quamvis ritus caerimoniasque inter pares receptos omittat.

**XXVI.** Nec minus inter diuersi sexus homines, eosque, qui coniugii uinculo copulati non sunt. Quin nec illis iucundus amicitiae fructus denegandus est, qui diuersis sententiis fauent, et aliam ueritatis cognoscendae uiam ingrediuntur, quia fiducia uirtutis non semper exactam ueritatum omnium scientiam requirit.

Commendetur, quod ad prius, *Furreterii* lepidus libellus, quem *Roman bourgeois* appellauit, in quo praesumptae uulgarium hominum opiniones acute perstringuntur. Laudentur, quae, ad posterius illustrandum, *Ioannes Clericus* in *Parrhasianorum* Tom. II. attulit.

**XXVII.** Beneficentia uero non tantum pertura bona, diuitias, honores, uoluptates; sed saepe amplius quidpiam dispensat et impertit. Quis enim dubitabit, eum mihi praestare beneficium, qui adimit errorem, qui me a uitiorum contagio, aliisque periculis, liberat?

**XXVIII.** Et, quum reciprocam diximus, eluet iterum, grati animi signa ab amicis potissimum ostendi.

Ostendatur, quam abluserit a ueritate *Carolus Paschalii*, qui peculiarem de animo ingrato libellum confecit. Eiden censurae *Boeclerus* subiiciatur.

**XXIX.** Bonorum communio uero tum demum exspectanda est, quum amicitia ad summum peruenit.

Differatur de iuncto eorum confilio, qui in hac uitiorum scientia

Sentina communia bona flagitant. Notetur auctor *Historiae Seueranorum*. An primis Apostolorum temporibus fuerit bonorum quorumcunque societas?

**XXX.** Ergo dominia ex amoris summi & feruidissimi inopia deriuanda sunt.

Ostendatur, quam absione hic sint philosophati *Grotius*, *Alberti*, ac iureconsultorum perplures.

**XXX.** Ergo etiam amici tantum uere sinceri sunt, candidi, affabiles, taciturni, honesti; quia una eos uoluntas et perfecta confidentia connectit.

**XXXII.** Sunt iidem quoque soli uera mansuetudinis gloria conspicui; quia homines, non genios ab omni labore immunes, coniungi sciunt.

**XXXIII.** Quare nihil restat, quam ut, quae circa iustitiam irrepere dubia possunt, remoueamus. Posset enim aliquis existimare, iustitiam aequitati contrariam esse, ac iuri stricto inniti, quod ex pactis descendat. Pacta uero iam aliquam amoris indigentiam indicant.

**XXXIV.** Sed ego uero supra monui, uirtutem rectam rationem esse. Haec autem id quoque dirigit perficitque, quod ex hypothesi in salutem generis humani inuentum est, atque introductum, adeoque iustitia nihil nobis aliud est, quam studium confirmandi se in officiis erga alios ex pactionibus oriundis ad uoluntatem diuinam, humanaeque societatis certissima commoda.

**XXXV.** Quae officia, etsi ex perfecta obligatione debentur; non est tamen ambigendum, quin ex libera uoluntatis inclinatione suscipi queant debeantque.

**XXXVI.** Haec autem uitalis propensio bonitasque

tasque uirtutis nomine celebratur, ac sese in omni pactorum genere, et, quae ex iis descendunt, negotiis, tam in libertatis, quam Imperii, statu, exercere potest.

**XXXVII.** Ad quam si quis se patiatur cogit, nomen uirtutis amittitur.

Dicatur de actione ingrati, et quam turpiter sese dedecrit Boeclerus, ostendatur. Detegatur *Ioannis Recbtii, Kostochiensis Theologi, ταρόφαμα.*

**XXXVIII.** Caetera, quae ad officia et strictae iustitiae regulas pertinent, in via ad ueritatem jurisprudentiae naturalis copiosius perdocebimus. Nunc de uitio morali agendum est.

## CAP. XII.

# DE VITIO MORALI.

### I.

**V**irtus animi robur est faciendi, quod dictat ratio; ita uitium infirmitatem arguit agendi, quod rectum, naturaeque, atque essentiae humani generis conforme est.

**II.** Quod autem sic proportioni ac symmetriae, cuius Deus sapientissimus auctor est, repugnat, malum merito appellatur.

**III.** Sed caue, quamcunque infirmitatem uitii nomine notes. Neque enim omnis difficultas uitium, seu malum, est. Ita nemo uocabit uitium, hominem uolare non posse.

**IV.** Igitur ea tantum infirmitas uitium erit, quae uiribus naturae humanae aduersatur, eamque, admittendo contrarium, corrumpit, ac tandem, sensu morali, destruit.

**V.** Qui uero ad peragendum bonum minus validus

ualidus est; is, dum perpetuo recedit a recto, habitum perpetrandi mala contrahit.

VI. Hunc habitum uacuitatem amoris seu charitatis haud incongrue dices.

VII. Ut enim una uirtus; ita unum uitium est.

VIII. Quemadmodum uero una illa uirtus uarias denominationes accipit; ita uitium.

IX. Qui rationabili erga se ipsum amore de-  
stituitur, intemperans uocatur.

X. Continentiae opponitur incontinentia :  
tolerantiae impatientia, pufillanimitas, animi  
abiectione.

XI. Incontinentiae uariae species, seu modi-  
ficationes sunt: Sobrietati, gula et ebriositas;  
castitati, impudicitia, inuerecundia, libido,  
spurcities, polygamia, omnesque inordinatae  
et incestuosae coniunctiones, aduersantur. Non  
enim poterit fangi incestus, qui non significet  
uehementem libidinem.

Dicatur, quam hic sese torserint Iuris naturalis inter-  
pretes.

XIII. Qui amore rationabili erga alios caret,  
iniquus dicitur.

XIV. Modestiam immodestia, superbia, con-  
tumelia, obruunt.

XV. Benevolentiam inhumanitas, auaritia,  
immisericordia, inimicitia, hypocrisis, iracun-  
dia, euertunt.

XVI. Iustitiam iniustitia, fraus, technae, in-  
fidiae, extinguunt.

XVII. Qui uirtutum diuersas denomina-  
tiones curate cognoscit, etiam uitiorum maculas  
intelligit. Idcirco breuiores hic esse possumus,  
et sumus,

XVIII. Cum omni uitio inertia, inobedientia, imprudentia, stultitia, connectitur.

XIX. Istud enim nec sustinet, nec abstinet: inde omnis doloris omnisque infelicitatis scatango permanat.

XX. Ut uero dantur uirtutis gradus; ita uitii.

XXI. Vnde elucet, quid de Stoicorum dogmate sit censendum, uitia omnia esse paria. Eadem logomachia, quae obseruatur circa profectus uirtutum, obseruatur circa gradus uitiorum.

XXII. Et quemadmodum uero uirtus de donum est; ita uitium ab homine uenit. Theologi-Satanae, tanquam caussae remotae, attribuunt, quia de eo aliquid reuelauit scriptura.

XXIII. Ratio intelligit, non esse absurdum, si statuatur Satanas, seu nocua, maligna et contraria humano generi natura.

XXIV. Et tales naturam etiam Atheus poterit admittere; quemadmodum uicissim extiterunt, qui, deo agnito, negarunt eiusmodi malignam naturam.

Vide, quae Baelius collegit sub uoce Hobbes.

XXV. Quare errauit Beckerus, qui possibilatem Satanae, eiusque vires, impugnauit e principiis rationis.

### CAP. XIII.

## DE CONSCIENTIA.

### I.

**V**irtutem rectae rationis robur appellauimus. Cognitio eius, quod ratio facienda, uel non faciendum, dictat, conscientia uocatur.

II. Itaque conscientia reminiscentiam quandam earum rerum inuoluit, quas antea sciuiimus, aut percepimus.

III. Qui cognitione distincta destituuntur, conscientiam non habent. Ita furiosis, mente captis, infantibus, perperam adscribitur conscientia.

IV. Inde etiam ii, qui non ratiocinantur, carere conscientia dicuntur.

V. Nam et si omnes homines, quia intellectu sunt praediti, hoc ipso conscientiam habere uidentur; tamen cum ea facultas interdum latet, sensu morali deficere conscientia dicitur, dormire, extingui.

VI. Cognitio est uel uera, uel falsa.

VII. Qui uere cognoscit, quid ratio uelit, hoc est, deus, qui per rectam rationem nobiscum loquitur, et quid praecipiat, iubeatque, patefacit, recta sustentari conscientia praedicatur.

VIII. Et cum e contrario falso faepe existimare soleamus, rem nobis esse plene perfecteque perspectam, adeoque immature, et secus, quam est, pronuntiemus, uel statuamus; hinc sit, ut erroneam fouere conscientiam dicamur.

IX. Quando aliquid recte cognoscimus, uel certis innitimus principiis, uel probabilibus. Vnde conscientia uel certa, uel uerisimilis.

X. De dubia conscientia disceptant auctores, et, ut plerumque fieri solet, logomachiis implicantur.

XI. Nam si dubitare idem est, ac suspendere iudicium, dubia conscientiae nomen neutiquam sustinet. Si uero dubium appelletur, quod alii uerisimile vocitant, dubia et probabilis coincident.

Vide, quae hanc in rem scripserit *Ioannes Franciscus Buddeus*, in Theologiae moralis parte I, cap. I, sect. III.

XII. Vnde facile patebit, num conscientiam tanquam regulam sequi possimus et debeamus? nam, si cognitio nostra ueris sit stabilita fundamētis, ambigendum non est, quin conscientiam tanquam uitae regulam sectari fas sit.

XIII. Errorem uero, ut nemo commendabit tanquam uitae ducem; ita conscientia erronea nunquam pro regula seu norma erit accipienda.

XIV. Ex quo iterum manifestum redditur, quid de notissima sit pronuntiandum lite, utrum erronea conscientia sit conscientiae nomine digna. Offert enim sese hic nouus ingenii uocisque lufus. *Quod si namque*, uerba *I. F. Buddei*, uiri clarissimi, lector, generatim omne hominis iudicium de suis actionibus ad legem relatis conscientiam uocaueris, quod usu hactenus obtinuit; nihil obstat, quo minus et erronea conscientia bocce uenire nomine queat. Sin uero eam demum cognitionem, quae uera sit atque certa, conscientiae nomine digneris, aliter sane formanda erit decisio.

Dicatur de libro *Saurini*, quem *reflexions sur le droit de la conscience* inscripsit.

XV. Sed recte interea sentiunt, qui contra erroneam quoque conscientiam agere nefarium existimant. Nam, utut contra rationem non eunt, qui errore posthabito agunt; tamen aduersari rationi, quantum in se est, conantur et uolunt. Rationem autem negligere, et uage, quae ocurrunt, sequi, hominis caeci est, ne dicam, scelesti.

XVI. At inde tamen uix consequitur, ut conscientia plane non sit regula, quia potest aberrare.

errare. Est enim hoc solum certum; conscientiam erroneam non fore actionum nostrarum normam.

XVII. Qui haec sequitur, peccat, si error superari potuerit, aut vinci.

XVIII. Vtrum autem detur error invincibilis, disputatur. Et, mea quidem sententia, error absolute invincibilis non datur: que minus vel certarum circumstantiarum intuitu, quae hominum quorundam statum et actiones continentur, talis, qui vinci nequeat, occurrat saepius, nihil credo obstare.

XIX. Simili ratione altera dijudicanda quaestio est, an aliquid verisimili in moralibus indulgendum sit conscientiae? Ut enim multi inveniuntur homines, qui ipsum dignoscere bonum honestumque nequeant, eoque aliorum auctoritatem sequi necesse habeant; est tamen facile ad concludendum, eos lubrico admodum fundamento inniti. Quid enim, si erret, quem imitantur? si abluat a scopo?

XX. Ergo homo sapiens nunquam aliorum duntaxat iudicia actusque in imitationem sibi proponet. Ipse mentem expoliet, ipse iudicabit: et cum, si alios idem viderit statuere ac facere, in sinu gaudebit. Caequam sequelam uero uulgo relinquet.

XXI. Relinquit quoque eidem casum, ut loquuntur, conscientiae segeter: relinquit iis respondendi facultatem, quibus uolupte est, populum ignorantem ad suum recurrere tribunal. Ignarissimi quippe pluribus scrupulis urgentur.

Conferantur, quae Basnagius in tractatu de conscientia perdedo in hanc rem suggerit: excludantur Casuum inepiac,

XXII. Dogma Iesuitarum uero, quod sub *probabilitismi nomine* in scholis innotuit, tanquam perniciosum aduersabitur. Neque enim probabilis conscientia toleratur, quam, quia interdum recta esse potest, et uera. Ineptissimus autem merito haberetur, qui, quod doctor unus statuit et alter, habeat pro uero, arripiatque ad imitandum.

Dicatur de *Raschilio*, *VVendrockio*, *Racbello*, aliisque, qui contra hoc dogma acerrime disputatione.

XXIII. Aduersabitur itidem populari conscientiae diuisioni in antecedentem, quae actiones nostras antecedit; et consequentem, quae eas sequitur, et demum de iis pronuntiat. Non enim, nisi vulgus, quod actiones suas nunquam sollicite et accurate ante, sed post perpetrationem demum considerat, conscientiae mutationem sentit. Homo sapiens uero, qui nihil, nisi quod mature perpendit, agendum suscipit, quandam conscientiae constantiam experitur. Quemadmodum enim is ante factum perpetratum; ita etiam postea iudicatur. Eadem conscientia ipse dux, paedagogus, liber, iudex est.

Laudetur *Immanuel Proeckus*, qui in *demonstratione de certitudine sensuum, rationis et fidei*; hanc doctrinam solidè confirmauit.

XXIV. Vnde merito infertur, sapientem solum frui conscientia tranquilla et bona, quia nullis scrupulis distinetur, et recte semper argumentatur, ac sentit.

XXV. In applicatione uero difficile est iudicatu, quis sit sapiens, rectamque gerat conscientiam. Inde factum est, fierique quotidie solet, ut uniuscuiusque religionis adseclae, quando ceteris uidentur potentiores, de rectae conscientiae

riæ prærogatiua glorientur, et reliquos existimant fungos atque errantes: quod optime demonstrauit, quem supra allegauimus, *Saurinus*.

**XXVI.** Ad extremum silentio prætereundum non est, non tantum iudicandum esse reæte, sed appetendum quoque, faciendumque, honeste.

### CAP. XIV.

## DE APPETITIONIBVS, SEV, AFFECTIBVS HVMANIS.

### I.

**C**ave nobis adtribuas ~~αρετης ουσιαν~~, quando nunc de appetitionibus bonis malisque agere occipimus, cum iam doctrina de uirtute et conscientia, ad colophonem sit perducta.

**II.** Neque enim, quod imprimas memoriae, uel recta, uel inordinata appetitio, mente concipi potest, nisi prius ideam uirtutis animo complectaris.

**III.** Ante appetitionem uero cognitio, seu conscientia, requiritur: unde ordinis methodique ratio clare percipitur.

**IV.** Appetitio motus est. Neque enim sine motu deus esse hominem uoluit, quia sine uirtute in hunc mundum intrat, et ad hanc congrue inclinandus, aque uitiorum contagio remouendus ac declinandus est: ut taceam bona ac mala naturalia, in quibus haec deuitare, illa amplecti, apposite debemus, ne in uirtutis exercitio impediāmur.

**V.** Talis inclinatio, uel declinatio, uocatur affectio, affectus.

**VI.** Vnde clarissime patet, eam pertinere ad

uoluntatem : et admirationem , utpote intellectus perceptionem , non esse appetitionem.

Notetur Cartesius , qui appetitiones intellectui attribuit , quosiam sunt passiones .

VII. Inclinamus autem ad bonum nobis gratum , aque malo molesto , ipso auctore naturae instigante , recedimus . Neque enim in nostro possum arbitrio est , non sentire dolorem ; non moueri uoluptate . Ignis nos inviterit ; mel dulciter ac iucunde palatum notentium afficit .

VIII. Ergo uoluptas et dolor causae impellentes sunt , sine quibus nemo mouetur , nemo impellitur , aut repellitur .

IX. Quod appetimus , speramus ; quod fugimus , timemus .

X. Igitur spes atque timor primarii affectus sunt . Qui desiderium unicum affectum statuunt , non quidem errant ; sed minus clare distincteque loquuntur . Qui amorem et odium substituunt , aequatione facile decipiuntur , ac decipiunt .

XI. Hanc ueritatem iam Thomas Hobbesius in Leuiathane uidit ; hanc fecuti sunt alii ; hanc nos quoque , quia recte rationes subduxit , imitamur . Vtrum uero Hobbesius ex Epicuri horribilis hauferit sua , disceptatur .

XII. Spes autem , itemque metus , impulsione et repulsionem ponunt . Vtraque vim requirit .

XIII. Haec uis tum demum se se exferit , cum uel nihil impedimenti obseruamus , eoque bonum appropinquare , aut adesse , credimus ; uel aliquid impedimenti animaduertimus , eoque malum in propinquuo esse experimur .

XIV. Ergo tam spes, quam metus, ab experientia effectum dependent. Ita deuitamus ignem, quia experti sumus, eum ustulare; quietem autem appetimus, magna que fiducia ambimus, quia documento constat, eam naturam hominis recreare et perficere.

XV. Ergo boni sensus atque experientia spem excitat; mali sensus, uel perceptio, timorem progenerat.

XVI. Bonum, ut supra obseruauiimus, uel uerum est, uel apparens.

XVII. Verum bonum naturam hominis conferuat, et perficit: malum corruptit, ac, sensu morali, destruit.

XVIII. Spes boni ueri recta est; quia scopo diuino congruit: spes boni apparentis inepta est.

XIX. Ut uero datur bonum uerum; ita etiam datur malum uerum: utque uicissim bonum; ita malum inuenitur apparens.

XX. Malum uerum naturam hominis pessundat: malum apparens non item.

XXI. Ergo timor rectus est, ubi odi mus, quod reuera malum est: timor ineptus, ubi odi mus, quod reuera malum non est, sed potius bonum.

XXII. Igitur spes recta ad uirtutem et media uirtutem perfici entia et conseruantia tendit: nam uirtus robur mentis est faciendi, quod naturae hominis reuera bonum est, eamque beatam praeftat.

XXIII. Timor rectus a uitio recedit, efficitque, ut in uirtute recto que animi proposito acquiescamus; eo que, quod nos infelices reddit, deuitemus.

XXIV. Spes inepta ad malum et media istud promoto-

promouentia sub specie boni tendit : timor uanus a bono uero , mediisque ad illud ducentibus, sub specie mali, recedit.

XXV. Ergo omnis appetitio ad futurum procedit ; estque hic terminus a quo , et ad quem , curate expendendus.

XXVI. Ceterum spes et timor 1) pro propinquitate , praesentia , uel absentia , et duratione boni malique uariant , nouasque denominatio-nes accipiunt. Ita spes boni propinquai et facile obtinendi appellatur *fiducia* ; spes mali repellendi, *audacia* ; spes boni praesentis conseruandi, *gaudium*. Timor mali proxime absentis , *difici-  
denta* ; praesentis diuturni , *tristitia* ; perpetui , *desperatio*.

Differatur hic de risu lacrymisque , et , an ille laetitiae , haec uero tristitiae comites sint , indicetur.

XXVII. Variant 2) intuitu motus remissioris , uel uehementioris. Ita spes improvisa gaudi-umque uehemens dicitur *stupor*, seu *confernatio* ; spes mali repellendi ingens, *ira* ; metus atrocior , *horror* , *tremor*.

XXVIII. Variant 3) intuitu obiectorum. Ita datur spes pecuniae , potentiae , uoluptatis , quemadmodum timor paupertatis , infamiae , famis , mortis , cetera.

XXIX. Variant 4) respectu nostri et aliorum. Sic spes boni eiusdem , quod sperat et petit alter , *aemulatio* audit ; timor mali , quod alterum tan-git , *indignatio* ; cui si accedat spes impertiendi boni , quod deest , *misericordiae* nomen emergit. Quemadmodum iterum *congratulatio* cooritur , ubi alteri non nihil boni euenit.

XXX. Atque ita quidem non erit difficile , affe-

affectus numerare et apte disponere, si ad hasce circumstantias respectusque attendas.

XXXI. Patebit quoque , quid de Stoicorum quatuor principibus affectibus : laetitia , tristitia , cupiditate , abominatione ; Epicuri tribus praecipuis : laetitia, dolore, cupiditate ; ac undecim Scholasticorum ; item Cartesii sex passionibus : admiratione, odio, amore, cupiditate, laetitia , moerore , sit statuendum.

Dicatur , quare *Cartesius* in moralibus adeo tenues progressus fecerit.

XXXII. Ceterum, cum mens ac corpus arctissime sint compacta, consequitur, ut omnes appetitiones nostrae cum commotione quadam corporis sint coniunctae.

XXXIII. Haec commotio uel praecedit , uel sequitur. Nam uel ad motus corporis oriuntur certi mentis motus , uel ad motus mentis oritur commotio corporis.

XXXIV. Haec in agitatione sanguinis et humorum aliorum, quos spiritus animales uocant, consistit.

XXXV. Vnde elucet , quid de appetita sensituo sit sentiendum , de quo scholastici tam inepte cogitarunt.

XXXVI. Est enim is nihil aliud , quam uoluntas interueniente corpore agens , eaque appetens, quae corpori sunt grata , et ita per sensus imaginationemque menti repraesentantur. Primus hic *Cartesius* ueterum ineptias detexit.

XXXVII. Hinc appetitiones in abstracto consideratae affectus mentales appellantur : appetitiones cum extraordinaria sanguinis commotione coniunctae affectus sensuales : commo-

58 CAP. XIV. DE APPETITIONIBVS,

tiones corporis appetitione , seu commotione actiua mentis uacuae, affectus mere corporales.  
Affectus spirituales ad Theologos pertinent.

Dicatur de affectibus, seu simularcris affectuum, in brutis.

XXXVIII. Ergo omnis appetitio actiua inadaequate passio uocatur. Est enim aliquid amplius in ea.

Notetur iterum *Cartesius*.

XXXIX. In omni affectu obseruantur gradus. Incipit, progreditur, et ad summum peruenit.

XL. Effectus uero et simul comes omnium affectuum delectatio est: non autem ipsa delectatio affectus est; atque id exemplis declarari uariis potest.

XLI. Haec facit, ut homines affectibus lumbenter indulgeant.

XLII. Delectatio uero, ut uarie modificatur; ita uarius in corporis motu positus obseruatur: in quo considerando determinandoque non est necesse, ut fudemus multum cum *Chambrio*, seu *Camerario Gallo*.

Dicatur de pictoris *Domini le Brun*.

XLIII. Quibus obseruatis perfecta tandem affectus definitio exsurgit; estque is commotio actiua, seu appetitio uoluntatis, cum sanguinis spirituumque, quos uocant, animalium commotione extraordinaria, itemque diuersa coniuncta, tendens ad futurum bonum gratum nobis acceptumque; quam delectatio quaedam comitatur, et sequitur.

XLIV. Affectus autem, ut supra §. XX, seq. diximus, uel bonus est, uel malus, uel, si etiam uelis, indifferens.

XLV. Est enim absurda opinio, affectus in se specta-

Spectatos esse malos. Ut namque corpus manus pedibusque; ita mens appetitionibus est instructa: quid? quod uita mentis in motu consistit, ut uita corporis. Vnde manifestum est, hominem sine affectu existere non posse. Qua occasione a multis haud inepte obseruatum est, affectus sanitati corporis non parum prodeesse.

XLVI. Hic igitur mentis motus, quando generatim consideratur, et solam appetitionem signat, indifferens merito secundum *Peripateticonrum* et *Cartesii* mentem appellatur: et si errarunt omnes, cum iram, uti uulgo definitur, et inuidiam, in affectionum innocentium classem retulerunt.

Differatur de ira, prout spes uehemens est repellendi mali imminentis, et, ut est uindictae cupiditas. Inuidia vero, quoquo modo describatur, amoris sane defensum indicat.

XLVII. Quando uero ad finem homini praestitutum, et naturae eiusdem conuenientem, tendit, uel a uitio ad uirtutem redit, boni nomine adsciscit: quemadmodum uicissim male appellationem adsumit, cum ab eo fine declinat, et declinare pergit. Hoc intuitu Stoici affectus dixerunt malos, quia in iis nihil amplius moderandum animaduerterunt; cum e contrario Peripatetici appetitiones suas regendas et moderandas existimauerint, utpote appetitiones, quae uel ad conueniens naturae humanae obiectum, uel disconueniens, dirigi et applicari possint. Quare manifesta est in hac lите λογομαχία.

Declaretur ea Tauri de Plutarcho, quae apud Gellium est, perlevida narratione. Explicetur ἀπάθεια Ze nonis, et ἐμπάθεια Epicuri; quae iterum non nisi nominibus differunt.

- XLVIII. Sed cum interea homines , ut sunt natura, a fine suo nunquam non declinent ; hinc affectus eorum pro malis merito (*in concreto*) habentur , donec contrarium ostendatur.

- XLIX. Appetitiones repetitae mores progenerant : quae , si bona<sup>e</sup> sint , habebis bonos , si contra , malos .

- L. Mores boni uirtutem gignunt : mali , uitium , hoc est , amoris uacuitatem .

- LI. Et talis autem amoris uacuitas in intemperantia , seu uoluptate , superbia , et auaritia , inuenitur .

- LII. Tantum perquirendum est , quare tam diuersis appetitionibus homines urgeantur . Nam etsi dicitur , imaginationis magnam esse disparitatem , adeoque ex iunius eiusdemque obiecti diuersa representatione diuersos oriri affectus ; tamen obscurum manet , quare homines obiecta sibi diuersimodis proponant , et inclinationes tam uariae distinctaeque generentur .

- L.III. Quare ad corporis temperamentum , consuetudinem , aetatem , sexum , educationem , ac reliqua , quae temperamentum cupiditatesque alterant , in primis respiciendum est .

### CAP. XV.

## DE TEMPERAMENTO CORPORIS.

### I.

**H**omo ex mente et corpore constat. Igitur ad utrumque respiciamus oportet. Pythagorici , Stoici , Platonici , corpus contemptum habue-

habuere. Epicurus corpus menti praetulit. Nos neutrū negligendum contendimus.

II. Ut a corpore incipiamus, constat sane illud non simplex esse, sed compositum.

III. Compositum principium ponit, vel principia. Veteres ad elementa configurerunt: unde eorum calidum, frigidum, siccum et humidum, emerit.

IV. Quae disceptatio, cum sit primo obscura, multaque expositione, ut intelligibilis reddatur, egeat, nos sanguinem primo contempsimur.

V. Sanguis in omnibus corporibus humanis obseruatur. Ab hoc ossa, caro, uena, arteriae, humores omnes originem trahunt.

VI. Hic uarie mixtus est, et temperatus.

VII. Temperies, seu mixtura partes desiderat. Ergo sanguis certis partibus confitat.

VIII. Partes qualitates sanguinis indicant.

IX. Est autem ille fluidus, terrestris, pinguis.

X. Fluor lympham, consistentia terram, pinguedo ignem, ostendit.

XI. Lympha flexibilitatis, terra solidorum, pinguedo caloris motusque in corporibus, occasio est.

XII. Aeris, seu aetheris, nullum peculiare uestigium eminet; quoniam hic omnes sanguinis partes quasi perflat, peruidit et penetrat; adeoque seorsum, ut lympha, terra, ignis, neutquam obseruatur.

XIII. Haec si aequaliter essent mixta, et convenienti proportione temperata, nec per pugnam quasi collisa, inaequaliter dispensata, et dispertita, perduraret sane humanum corpus, ac forte immortale foret.

XIV.

XIV. Sed deprehenditur nunc sane partium enumeratarum inaequalis compositio, unaque excedit, et energia super caeteras eminet.

XV. Energiae uocabulo utor, ut ostendam non ad copiam particularum, sed virium, respi-ciendum esse. Ita recte a nonnullis monitum est, in sanguine dominari semper aquam, quam, uis energia ignis et terrae sit saepe maior, eoque praevalenter.

XVI. A posteriori autem ut sit denominatio; ita ab ea parte, quae virium copia praeualet, temperamentum signatur.

XVII. Et cum viribus praeponderet 1) uel lympha, uel 2) ignis, uel 3) terra; hinc tria oriuntur temperamenta, sanguineum aquae, cholericum ignis, melancholicum terrae.

XVIII. Qui salis, sulphuris, mercurii, aliisque chemicorum uocibus utuntur, uix discrepant, Sulphur, utpote oleofum, inflammans; sal terreum; mercurius fluidum, quidpiam est.

XIX. Simili ratione calidum respondebit ignis, frigidum terrae, seu sali fixo concretoque, humidum lymphae.

XX. Nec alia ratione nunc quoque a Medicis obseruatae in sanguine qualitates, seu humores exponendi erunt. Sanguis aequo lymphae fluore conspicuus, aquam; bilis, oleum et inflammantes partes; melancholia, seu atrae bilis leniter, terram, praeualere ostendunt.

XXI. Quae omnia propterea in medium affero, ut, quam non sit capitalis inter eruditos diuersis uocabulis utentes dissensus, appareat.

XXII. Phlegmaticum omisimus, ne praeter necessitatem multiplicetur temperamentorum

**n**umerus. Quid enim est phlegma? Nihil sane aliud, quam liquor limosus. Sed attende uero: si emineat aqua, habebis sanguineum; si limus, melancholicum. Fac etiam porro, terrearum et sulphurearum partium temperaturam a non nullis phlegmatis nomine recte insigniri, non tamen peculiare emersum puto temperamentum. Praeualebunt enim uel sulphureae, uel terreae. Si prius, cholericum sufficiet; sin posterius, melancholicum.

**X**XIII. Quibus constitutis facile nunc erit ad determinandum, quid efficiat in corpore sanguis, quid cholera, quid melancholia.

**X**XIV. Iam autem certum est, in sanguineo temperamento abundare partes fluidas, et praeualetere uiribus. Hae uero facile cuicunque motioni obsecundant, inque arterias uenasque adaeque dispulsaे nihil impedimenti faciunt, aut offendunt, eoque uasa sanguifera minus capacia postulant. Inde facile in carne, ac facie in primis, quia limpidae sunt, eminent, cumque poros omnes sine mora aequalique motu penetrant; hinc color rubicundus, hinc pulsus, secretiones, excretiones, non modo promte, facile, et minus impedit; uerum etiam mediocriter, constanter, atque peraeque, succedunt. Vnde corpus uegetum, ob alimenti succique copiam laxum, membra expedita, agilia, crinium abundantia, in eiusmodi hominibus intuenitur.

**X**XV. Vbi cholera dominatur, et per consequens, aliqua sanguinis pinguedo, eaque ad inflammandum apta, occurrit, ibi, ut lymphae actuosa copia et aequalis commotio cessat; ita pori sunt strictiores, impulsus autem, quia trans-

Ius certo modo uidetur impeditus, tanto uehementior; quo sit, ut summe agilis euadat sanguis, atque hinc celerimus pulsus calorque insequatur, qui ita penetrat, ut etiam color circa superficiem cutis satis spectabilis reddatur, metusque sanguinem continentem, ob pororum angustias et concurrentem elasticam uim, descendantur. Omnia enim sulphurea, oleosa, pinguis, biliofa, aliquanto incitatoria sunt, quodque impedimento est, tenuiunt, exporrigunt, atque agitatione sua membra celerius agiliusque mouent. Sed quia inflammam facile dantur, ad convulsiones et febres morbos corporis disponunt, idque aridum, tenui, siccumque, ardore suo efficiunt.

**XXVI.** In quibus autem melancholia, uel terrearum partium moles superior est, ii necessario fibras spissiores, compactiores, solidiores, ob sanguinis crassitudinem, eoque poros arctiores cholericis habent et ostendunt; ac propterea uehementem pulsum motumque ob caloris defectum uix sentiunt, nec, quia spissa materia in angustiis facile haeret, feruidorem impetum ferunt; sed assiduo magis, continuato, et magno nisu propulsuque indigent, qui cum crassam limosamque materiam per uasa sine intermissione prouehit, ea paullatim pandit, ac capacissimareceptacula efficit. Vnde mirum non est, lentum sanguinis gyrum torporem, incessum etiam lentum, fuscam faciem, quoniam sanguinis massa nec limpida est, nec calore in superficiem propellitur, malum hypochondriacum, lentes secretiones, obstructiones, atque infinitas anxietates, aliquando producere.

**XXVII.**

**XXVII.** Ceterum silentio inuolui non debet, haec temperamenta uarie nihilominus modificari, neminemque forsitan inueniri, qui aequali mixtione ac temperatura alteri prorsus similis sit. Etsi enim tria tantum principia extrema sunt, quae in sanguine totoque corporis habitu eminent; tamen, cum uaria proportione unum alteri, alterumque dominanti et praeualenti accedat, et ipsum praeualens diuersis viribus non nunquam appareat instructum, difficile iudicatu est, quo gradu aliquis cholericus, quo itidem sit melancholicus, aut sanguineus.

**XXVIII.** Quae obscuritas fecit, ut generales loquendi modi inualerent, et hic temperamento cholericu[m] melancholicu[m], alter sanguineo melancholicu[m], et sic porro diceretur praeditus. Principium inferius, quia statim intelligitur, raro exprimitur.

**XXIX.** Vnde uero fiat, ut in hoc *μελαγχολια*, in altero cholera, et tertio sanguis emineat, plures allegari caussae possunt. Operatur hic non nihil regionis clima, aeris tempestes, solis ardor, caloris indigentia, cibus, potus, sexus, parentum dispositio, uigor, morbus, affectus, cum generamus, aetas, cetera.

Iude colligi potest, utrum etiam de nationum integrarum temperamentis aliquid uerisimiliter et generaliter adfirmari queat? Observetur, foemineum sexum succulentioris ut plurimum temperamenti uideri.

**XXX.** Difficilior quaestio est, an temperamentum mutetur? Et obseruandum est, non uideri probabile, unum in alterum uel uno habitat, uel etiam paullatim abire. Quid enim ualentius, quae se, destrueret? an id, quod est infirmius? Deinde admixendi sunt, qui secus sentiunt,

tiunt, non tantum sanguinis massam, uerum etiam conformatiōnem singularū partium, pororum, uasorum, quae temporis tractu peculiariē *οχέων*, contrahunt, circumspicienda esse. Haec mutari et conuerti uix possunt; quin nec istud tuto adfirmatur, totam sanguinis temperiem aliā et nouam plane speciem induere. Id uerum est, alterari interdum gradum. Quod morbi, aeris mutatio, aetas, labor, uiētus, aliaque innumera, non nunquam efficiunt. Ut autem prima stamina, idque ipsum, quod feuit natura, atque maioribus uiribus instruxit, eadem rursus destruat, comprehensu difficile est. Talis uero alteratio a multis pro omnimoda mutatione habetur. Nec iuuat, temporis lapsu euanescente ac transpirare actuosiores partes. Fac enim, id fieri, e. g. in partibus biliosis, forte idem continget in fluidis, ceterisque: et tum uero maius et firmius respectu inferiorum manebit firmius: quamuis non nihil mutationis aliquando subeat. Ut taceam, actuosius principium quaesitum sibi conformia, ac dispulsurum heterogenea, seu dissimilia. Vnde in ipso corpore nihil inuenitur aut obseruatur, quod tales ciere immutationem aptum sit. Si quid aliunde et ab ipso naturae opifice innouetur, id sane extraordinarium est. Nos differimus, quid ordinarie contingat, non autem semel, uel bis, sed ut plurimum, fiat. Cui animaduersioni addas licet, luētari interdum, in tenera praecipue aetate, principia, quae paucis inuicem passibus distant, donec ualentius emineat, ac cetera compate deprimat.

**XXXI. Vnde nihil restat, quam ut ostendamus,**

**mus, quoad fieri potest, perspicue, quomodo concretio corporis in animum sese transfundat.**

### CAP. XVI.

## DE TEMPERAMENTO MORVM.

### I.

**V**T anima interueniente corporis ministerio sentit ac percipit; ita etiam, eodem intercurrente ac sollicitante, appetit.

**II.** Nec enim ipsa sibi domicilium struit, nec corpus in utero format, ut absone non nulli existimant; sed ipsa potius tanquam incola in microcosmo suo habitat: ignara interea, quo pacto cum corpore sit coniuncta, simulatque insacia, se secundum spermatica lineamenta corpus ac motus in illo fabricasse.

Notetur postremum contra *Sennertum*, aliosque, qui animae rationali corporis humani structuram attribuunt.

**III.** Quapropter id solum certum est, animam residere in corpore, tanquam domicilio suo. Vtrum uero per traducem, an de creationem, in istud fuerit translata, clare ostendi uix potest.

**IV.** Huic domicilio sese accommodat illa, non hoc sese illi. Nec enim corpore aliter, quam id permittit ac patitur, uti potest.

**V.** Iam finge uero, sanguinis gyrum esse lentum, corpus terreis partibus praegnans ac graue, minus agile propterea, undequaque impedatum, an, quaeso, in mente aliis esse, aut excitari motus, poterit?

**VI.** Igitur lenta corporis natura mentis quoque lentitudinem efficiet; eoque sensu corporis concretio, ut loquitur *Grotius*, in animam transibit.

VII. Lentitudo metus caussa est. Vtrumque potentiae indigentiam, uiriumque quendam defectum indicat.

VIII. Metus curarum molem progignit; animamque perpetuo sollicitam reddit.

IX. Sollicitudo uero eo tandem illam traducit, atque inclinat, ubi secura ac tuta quies promittitur.

X. Ergo motu graui ad res conditas, quae homines circumuallant, quasque creaturas barbare appellamus, transfilit.

XI. Res conditae pretium habent.

XII. Pretium est uel vulgare, uel eminens. Eminens pecunia appellatur.

XIII. Ergo mens sollicita pecuniam, et quae ad illam parandam pertinent, aut ei hominum opinione aequiparantur, quaeret et appetet.

XIV. Appetitio repetita mores auaros, et simul, quia origo ex metu est, meticulosos gignet.

XV. Metus et impotentia cunctationem inducent. Cunctatio actuosos mentis motus excludet.

XVI. Hi in ingenio iudicioque consistunt.

XVII. Lentus motus uero grauis et continuatus labor est. Vnde fit, ut memoria malorum praeteritorum, quae obseruauit, ideas repetito et graui nisu cerebro impressas seruet, easque cum futuris componat.

XVIII. Ergo melancholicus corporis habitus laboriosis meditationibus ansam praebet: laboriosae meditationes sollicitudinem cum memoria sollicita continent. Sollicitudo uero temporis tractu, quo maior cooritur uitium diffidentia, non minuitur, sed curiosiore impedimentorum obseruatione augetur.

XIX.

XIX. Interea tamen eiusmodi sollicitudo a termino a quo ad terminum ad quem mentem traducit.

XX. Transitio nouae spei locum facit. Haec autem, uti monuimus, uel in pecunia, uel re eidem simili, terminatur.

XXI. Quo magis et diutius uero electioni aliqui intenti fuimus, eo maiore dolore mutamus.

XXII. Omnis enim mutatio cum molesta coactione coniuncta est, quam sine dolore concipere uix possumus.

XXIII. Ergo, quod diu uoluimus, uelle; quod diu noluimus, nolle, pergitus: quia prompte id possumus, diuque continuauimus.

XXIV. Quidquid eiusmodi uolitiones stabilis, ac promouet, tueri ac conseruare laboramus; quidquid uidetur contrarium, amoliri satagimus, ne amittamus iucundum, et accipiamus molestum.

XXV. Ergo metus perdurat, ergo spes ac fiducia in rebus conditis, seu creaturis, persistit.

XXVI. Sed metus tamen obiectum requirit ac ponit. Obiecta sunt uel uisibilia, uel inuisibilia.

XXVII. Quod inuisibile est, non tam clare cognoscitur, quam quod est uisibile.

XXVIII. Quod ignoratur, maximam partem grauius metuitur.

XXIX. Ergo homo melancholicus et auarus deum nimium timet, eoque ad superstitionem inclinatur: fingit sibi spectra, lemures, magos, et Thessala commenta, corruptaque imaginatione in his fingendis adiuuatur. Hinc etiam ad fanaticismum pronus habetur.

Differatur ēπαρσία, quomodo fieri possit, ut tota univer-

uniuersitas sibi persuadeat, se ad ueneficorum et ueneficarum societatem pertinere. Inspergatur aliquid de differentia entusiasmi et fanaticismi. *Lockii* et *Merici Casauboni* meditationes de entusiasmo commendentur.

**XXX.** *Visibilia, aut boni aliquid nobis procurant, aut mali.*

**XXXI.** *In iis, quae plurimum nobis damni dant, homines sunt.*

**XXXII.** Ergo hominum confortia, quoad fieri potest, fugit, solitudinem amat, inhumanus est, diffidens, suspicax, inuidus, immisericors, illiberalis austerus, inciuilis, inepte superbus, crudelis, desperabundus, sique libidinis stimulis urgeatur, ad damnatam mutamque uenerem haud raro pronus.

**XXXIII.** Idem hominum metus facit, ut nunquam aperte, sed per insidias, per simulationes, mendacia, fraudes, dissimulationes, incedat, perque ueritas artes noceat, taciturnus sedeat, alios obseruet, et, ubi spes lucri affulget, ac uindictae cupiditas urget, prodat.

**XXXIV.** Nunc uero, cum ex suo ingenio alios iudicet, nihilque boni ab iis, cum quibus una est, speret, aut exspectet, ne vixque tanquam feuerum et nocium despotam timeat, fieri sane aliter non potest, quam ut in rebus aliis, et pecunia in primis rebusque conditis, unde pecunia paratur, fiduciam ponat, genium defraudet, famem sitimque sustineat, nisi gratis edat, potetque, manu labore, abiectissimis operis se se dedat, numeret, eorū fatiget, dummodo praesens lucellum affulgeat; non autem ingenio, quod ei deest, quodue fructus ex longinquo ostendit, operetur.

XXXV. Ex quo iterum fit, ut, dempta fiducia, rebusque, quas infinita cupiditate appetit, et seruare conatur, abstractis, ululet, obque ingenii deficientiam impatiens furat, et tandem, nisi impediatur, uua passa fiat; sicque ineptissimo uitam metu finiat, uti stultissime sperauit idem.

XXXVI. Ut uero melancholicus metu immodo; ita cholericus spe infinita et uiolenta urgetur. Quod, quomodo contingat, ostendendum est.

XXXVII. Finge igitur, corpus sulphureis, oleosis, inflammantibus partibus plenum, agilimum, in quo omnia uiolento motu peraguntur; et eosdem sane animae motus, praecipites, uiolentos, et corporeis quadantenus similes obseruabis.

XXXVIII. Violenta spes uirium coniunctio nem ponit: uirium coniunctio potentiam mentis corporisque gignit: potentia perrumpit, impedimenta, quae obstant, dispellit, ac separat, innumera distinguit, artes difficillimas appetit, in illis, quae sunt spinosa, diuidit, hincque iudicio acri discretoque pollere obseruatur: ea uero, quae laboriosam rerum praeteritarum repetitionem requirunt, aut minus accurata et solida apparent, uix affectat, eoque memoria ingenioque haud multum eminet.

XXXIX. Potentiae opinio mater audaciae est, audacia repetita ambitionis.

XL. Audax uero ambitio uiribus suis confidit, adeoque tam inuisibilia, quam uisibilia, neutiquam reformidat; sed illa, quia in oculos non incurruunt, parui pendit, haec uero uiribus ac potentiae suae accommodat. E4

XLI. Hinc ad atheismum homo cholerico-ambitiosus pronus uidetur, quippe qui diuinis timoris quaedam uacuitas est: quam inclinationem alia iuuant, adaugentque, puta occultarum cauſfarum ac rerum, multorum iudicio incomprehensibilem, felix detectio. Vnde spectra quoq; et magos ordinarie ridet, atque inter ea peculiares opiniones excogitat, quas etiam in medium prolicit, nisi potentiam minuant, atque existimationem apud eos, quibus dominari conatur, subruant. Hoc enim si uideat, superstitioni fictae ſeſe addicit, flaminibusq; tanquam cymbalis, ac laudum suarum praeconibus, utitur, fugientum adſcendit, ut *Carolus Andax* et *Cronwellas*.

XLII. In uisibilibus et homines inueniantur, et res conditae pretium habentes.

XLIII. Hae potentiae firmandae atque in maius extolleſtidae inferuiunt. Magnis quippe auſibus res angusta domi obſtat. *VVallenſteinus* in id primo incubuit, ut diuiniſſis abundaret, quibus ad auguſtiora contendere.

XLIV. Vnde patet, non respuere hominem ambitiosum opes, aut pecunias. Tantum id inter eum atque auarum differentiae obſeruatur, quod hic retinere anxie ſtudeat, ille magnifice eas publiceque profundat.

XLV. Hac profuſione vero et admirationem plebis excitat, et ſocios ſibi clientesque parat.

XLVI. Eam enim ob cauſam homines non odit, aut fugit, quemadmodum melancholicus et auarus; fed frequentat potius, et fictis beneficiis afficit, ut ſe adorent, ac conuenienter apteque praedicent. Ineptas enim laudes refuſit.

XLVII. Frequentat vero homines, qui adaugere

gere vires suas possunt : homines ignauos, molles, timidos , auaros , contemnit ; nisi quidem illorum etiam opera aliquando sibi appareat utilis. Amamus proditionem, amamus secreta nobis reclusa ; non garrulos , non proditores.

XLVIII. Omnes uero , cum quibus una est , sibi subiicere ac regnare fatagit : etiam eos saepe , qui superiores sunt.

XLIX. Hinc nemini fidus, sed erga quoslibet , si potentiae amplificandae spes immineat , ingratus , simulator egregius , dissimulator magnus , hypocrita non spernendus.

Differatur de proverbio : *qui nescit dissimulare , nescit regnare.*

L. Sed discrepat tamen iterum ab auaro. Hic simulat, dissimulat , ut loculos suos locupletet ; ille , ut gloriam , hoc est , potentiam, adaugeat. Gloria enim potentiae opinio est, quam quis de se , aliique de nobis, fouent.

LI. Hinc cultus ac uenerationis officia omnibus quasi praescribit , nec animi intentionem curat, dummodo metuant, praedicent, laudent. Nulla quippe ueneratione sine timore alterius concipi potest. Ex quo de amicitia eiuscmodi hominis iudicari potest.

LII. Quod si literis operam det , sectatores quaerit, idque uel occulte, uel manifeste.

Differatur de Spinoza , qui nullos sectatores dicitur affectasse.

LIII. Hinc eos , qui fini ac scopo suo aduentantur, persequitur, iisque irascitur.

LIV. Irascitur aperte , nocet aperte , usque dum redeant ad officium : redeuntibus uero ac subiectis parcit, ac magnanimi titulum affectat. Tantam enim de se viribusque suis fiduciam

habet, ut, quamuis denuo rebellent, cogendos speret.

LV. Vnde ira uiolenta cholericæ ambitiōnis filia est.

LVI. Quae tanto magis accenditur, quanto grauiora impedimenta obiciuntur, dummodo superari eadem posse uerisimilis spes affulgeat.

LVII. Ergo spem constantem fouet. Quod incipit, peragit. Nec enim uiolenti motus unquam cessant.

LVIII. Ergo uix abiicit animum. Iudicium uiriumque robur, uigilantia indefessa fausta omnia pollicentur.

LIX. Huic spei uero nihil magis, quam molitiae et intemperantiae uitia aduersantur.

LX. Ergo feminarum amplexus parui pendit; nisi et illae potentiae amplificandæ aut stabiliendæ inferuant.

LXI. Ergo etiam, quantum in se est, sobrie ac parce uiuit, ne uires animæ corporisque frangantur, quae ad uiolentos motus, quibus adsuevit, conseruandos necessariae sunt.

LXII. Quid? quod, cum perpetuo magna meditetur, reconditus est, taciturnus, ne proditis arcanis sibi noceant inimici. Vnde plura, quam loquitur, agit et perficit.

LXIII. Atque ita uero satis patere existimo, melancholicum metu nimio urgeri, cholericum potentiae uiribusque suis confidentem nimium sperare, adeoque nunquam desperare; sed omnia, quae uiolentis motionibus contrarie uidentur, sollicite amouere. Quid uero sanguineus appetat, aut non appetat, copiosius perdocendum est.

**LXIV.** Finge igitur, in corpore humano fluidas partes superiores esse ceteris, nihil propterea impedimentorum occurtere, motum aequalem et minus molestum obseruari, prompte, facile, et mediocriter omnia secerni fierique, et animaduertes, simili ratione in mente uniuersa peragi. Non distinebitur nimio metu, non uiolenta urgebitur agitatione: incidet illa potius in spem securam et uagam; quia in corpore nihil impedimenti sentit: securitas mollem negligentiam pariet, quam uoluptatis nomine notamus.

**LXV.** Secura negligentia uero uel non curabit impedimenta, uel, quia difficultia apparent, uix conabitur superare.

**LXVI.** Vnde etiam sollicitae experientiae parum tribuit. Sollicita experientia memoriam absoluuit. Ergo memoria tenax, ubi negligentia regnat, deficiet. Ad quod cerebri quaedam humiditas accedit, quae uestigia impressa difficulter seruat.

**LXVII.** Iudicium uero, cum difficultia separat, curateque distinguat, difficultia autem molesta appareant, exiguum hic fane, aut nullum, erit.

**LXVIII.** Itaque ingenium forte eminebit, quod similia prompte inuenit, et minus solide exacteque aliquid, celeriter, et sine magnis molestiis, effingit. Vnde ad Poefin sanguinei, aquae oratoriam uoluptarii, inclinabunt.

Differatur de multitudine Poetarum in Gallia, deque eorum paucitate in Hispania.

**LXIX.** Peculiares opiniones, quae multum meditationis requirunt, uix sectabuntur. Hinc *Bacchus* obseruat, uoluptatibus deditos, Dolabelae

lae similes, feminas itidem, ad atheismum theo-reticum uix propendere.

LXX. Credunt illi, quod approbant plures, metuuntque etiam, quod metuendum plerique dictitant. Vnde ad superstitionem magis ac credulitatem, quam incredulitatem, dilabuntur; quia plures sunt superstitosi, quam increduli, haecque periculosior uidetur, illa commodior.

LXXI. Vnde iterum elucet, superstitionem melancholici ex proprio metu; uoluptarii ex metu ab aliis impresso maximam partem oriri. Hic enim per se nec incredulus est, nec superstitiosus, sed tutus, securus, negligens.

LXXII. Qui uero nimium securus est, gaudet. Gaudium risu, cantionibus, atque exsultante membrorum motu proditur: cibo delicato, potu incitante, atque alliciente, otio, seruat; hominum familiari usu augetur. Vnde labores corporis molestos omni modo deuitat, et socios potius et familiares sibi similes quaerit, miseros deuitat.

Dixerunt, quid sit laborare, quid otiali. Decipiuntur enim plures, ac, dum otiantur, et uagi, non sine delectatione, oberrant, laborare se putant.

LXXIII. Cibus ac potus exquisitior sanguinem locupletat. Aucto sanguine augentur quoque spirituosiores partes. Hae in feminis abundantiam definunt: feminis abundantia ad libidinem stimulat: libido ordinarie in sequoriis sexus homines sese effundit, simulque inu-recunda est, et saepe uerbis gestibusque impudicis patefit.

LXXIV. Luxuria uero et libidinis instru-menta, uti sunt infinita, ita sumptus requirunt: Vnde uoluptarii non solum uolatigi, flexibiles,

et inconstantes sunt , deque bono iucundo ad iucundum profiliunt ; uerum etiam pecuniam affectant , non quidem , ut retineant , quemadmodum melancholici ; aut magnifice profundant , quemadmodum ambitiosi ; sed pessimis negligenter , futiliter , ac dissolute . Quare sera semper parsimonia in fundo est .

LXXV. Ex quo manifestum redditur , quomodo amicitia et beneficentia eius farinae hominum sit comparata . Donant , ut simul edant , bibantque , ac cupiditatibus suis uelifcent , et luxuriae noua instrumenta et adiumenta acquirant : dumque olla feruet , amicitia perdurat .

LXXVI. Vnde inepte , quos utilitatibus suis commodos uident , basiant , iisdem adulantur , ad similia uoluptatis officia exhibenda prompti sunt , abiecteque submissi uerborum lenociniis , atque ingeniosis , qui conuersationem sustentare ac iucundam reddere solent , loquendi modis student , neminem dolose laedunt , nulla inuidia agitantur , nulla zelotypia , sed securi agentes quosuis sibi similes ob experientiae defetum , et iudicii inopiam , arbitrantur .

LXXVII. Hinc , ubi attenta mentis cura desideratur , simul ac nonnihil molestiae subeundum , inciuiles prorsus sunt , ac uera morum elegantia destituti propriam saepe turpitudinem reuelant , inficte garriunt , siue per imprudentiam , petulantiam , aut ebrietatem , alios irritent , omnia in deteriorem partem uerti ob ignorantiam mirantur , quirant , et , quia humidioris constitutionis sunt , in lachrymas difluunt , spemque turbari securam lamentantur .

LXXVIII. Haec uero lamentatio tam propriae ,

priae, quam alienae miseriae intuitu, tanto ue-  
hementior est, quanto diutius iucundis adsue-  
uerunt iidem, quantoque longius duratura im-  
pedimenta ac mala credunt, quo astutiores in-  
sidia, quo inimicorum ira violentior. Hinc  
auaros et homines superbos, qui nihil non fini-  
stre accipiunt, fugiunt, parumque, cum ingruit  
calamitas, tolerantes ac patientes comparant;  
quamuis haud facile abiiciant animum, quia  
ingenio, uerbisque eiulantibus, aliorum pro-  
uocare misericordiam sperant.

LXXIX. Quare uoluptarii mendicorum im-  
pudentissimi sunt, moriones interdum, cum de-  
ficit pecunia; parasiti, et ad abie*Etissima* seruitia,  
ubi aliquid uoluptatis simul degustant, prom-  
tissimi.

LXXX. Ex quo tandem clarum fit, quam  
ineptae sint horum hominum cupiditates, quam  
inquieti inter spes agant securas, uagas et in-  
constantes, quam molliter itidem timeant, et  
saepius contristentur.

LXXXI. Inde etiam mirum non est, conte-  
nni in republica homines sanguineos et mol-  
les, quia tam mentis quam corporis labores sub-  
terfugiunt; cum uicissim auari, et ambitiosi,  
utut deteriores et magis dolosi inueniuntur,  
laudentur, atque haud raro laboriosissimorum,  
acutissimorum et fortissimorum hominum elo-  
gia a sui similibus reportent.

LXXXII. Quemadmodum uero praecedenti  
capite obseruauimus, non esse, quod quis phle-  
gmaticum corporis temperamentum tribus re-  
liquis supperaddat; ita non est necesse, ut for-  
dida uoluptas, seu *acutia*, a subtili acutius distin-  
guatur.

LXXXIII. Neque enim is tantum uoluptatibus aliquid indulget, qui sese cibo potuque ingurgitat; sed et, qui molli sensuum extero-rum tactu, et quae inde dependent, imaginibus, delectatur.

LXXXIV. Atque ita uero tria etiam morum manent temperamenta, hoc est, tres mentis in uolendo propensiones, quas alii uoluntates appellant. Tot enim sunt inclinationes, quae in corpore principia. Motus uero corporis typi sunt motuum animi. Nam animus conseruare corpus eiusque habitudines et imitari omni modo satagit.

LXXXV. Sicuti autem tria, quae in corporibus regnant, principia uarie miscentur, unumque eminent, alterum proprius accedit, tertium subsidit; ita etiam uires principiorum uolendi nunc proprius, nunc remotius, connectuntur.

LXXXVI. Propinquitatem et remotionem gradibus mensuramus. Vnde sit, ut primam et dominantem propensionem a secunda secundo, tertio, a tertia ulteriori gradu distare adfirmemus.

LXXXVII. Et quemadmodum supra ostendimus, dari corporis intuitu melancholico-sanguineos, cholericico-melancholicos, sanguineo-cholericos; ita mentis respectu habemus auare uoluptarios, ambitiosē auaros, uoluptarie ambitiosos, et sic uicissim. Tertia et infima propensio, ut exprimat̄ uerbis, necesse non est, quia per se intelligitur.

LXXXVIII. Sed quia tamen proportiones et gradus infinitis modis uariant; perperam sane laborant omnes, qui eos putare exacte et ad amissim

amissim uolunt diiudicare : quamlibet certum sit, temperari propensionem propensione, atque ita modificari, ut diversa mentis habitudo et inflexio in oculos saepe incurrat.

LXXXIX. Ita, si tres propensiones aequalibus fere viribus sunt instructae, aut proxime se contingunt, indifferentia quaedam, seu phlegma, ut loquimur, aut eiusmodi in mente constitutio obseruatur, quae fere nulla bonorum representatione uehementer afficiatur.

XC. In ceteris proportionibus considerandis illustris nos *Thomasius* anteuerit, qui totum cap. XII praxeos philosophiae moralis huic meditationi consecrauit.

XCI. Id hic monemus, maxime ridiculos uideri melancholico-sanguineos, seu meticulose securos, quia metus et securitas longissime distant. Nam uti contraria iuxta se posita magis eluent; ita si toto coelo diuersa connectantur, et ab uno extremo ad alterum saltus fiat, inconditum quidpiam ac ualde ridiculum solet emergere. Talis temperies in Principibus stolidam tyrannidem efficiet: in uulgo uero, quod per se parui fit, et sub capistro uiuit, tolerabilius apparebit.

XCII. Ex his uero colligi poterit, quid de mutatione propensionum nostrarum sit statendum. Ut enim ualentius in corpore principium durat, quemadmodum cap. XV, §. XXX, demonstratum dedimus; sic dominans propensio nunquam penitus naturalibus viribus subruetur, quoniam regnat, et reliquias comprimit.

XCIII. Non difficemur tamen alterare aliquid in ea confuetudinem, quae in imitatione consistit.

fistit. Sic patres imitamur ac matres, aut alios etiam, quamdiu sub eorum imperio agimus. Imitatio uero aliquid coactionis continet.

**XCIV.** Imitantur itidem uiri viros; iuuenes iuuenes, feminae feminas, cum quibus una sunt, pueri pueros, senes senes, nobiles nobiles, cetera. At tandem tamen recurrit natura, et eidem signis argumentisque sese prodit, licet furca expellas. **Quod infinitis exemplis ostendi potest.**

Vnde colligi potest, quid de eorum doctrina sentientium, qui feminarum, puerorum, iuuenum, virorum, senum, nobilium, diuitum, pauperum, aliorumque, temperamenta et mores peculiariter considerarunt.

**XCV.** Ergo mentis temperies in alios quidem gradus, non autem species diuersas abit.

**XCVI.** Ex omnibus uero id exploratum fixumque manet, hominem non speciem esse infimam, sed unumquemque nouam quasi speciem facere, ad quam formandam corporis motus mentisque omnia contribuunt.

### CAP. XVII.

## DE PHYSIOGNOMIA ET MORVM CHARACTERIBVS.

### I.

**T**ribuerunt veteres physiognomiae haud parum, sed dubito ualde, an uerum eiusdem fundamentum cognouerint. Pythagoras a principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerunt, ιστοριαμόνει. Adamantius eandem artem Aegytiis tribuit. Aristoteles et Polemon peculiares hac de re libellos scripsierunt.

**II.** Mihi id uerbum significat, naturas hominum

num coniectatione quadam de totius corporis filo atque habitu sciscitari.

III. Habitus autem corporis temperamentum prodit. Temperamentum morum animi occasio est, ut capite XV ostendimus.

IV. Huic fundamento si ars physiognomica superstruatur, fere fallere et falli nescia euadit.

V. Vnde ad colorem, uasorum laxitatem et arctitudinem, constitutionem corporis macilentam, et crassitudinem, motum facilem difficilemque, respiciendum est.

VI. Haec signa naturalia corporis temperiem indicabunt, & inde consequentem animi habitudinem.

VII. Ea nemo dissimulabit, aut simulabit, nemo occultabit, aut occultare facile poterit.

VIII. Sic floridus et rubicundus color in facie, porosus corporis habitus, eius agilitas, uasa minus laxa, sanguineam fane temperaturam signant.

IX. Sanguineum autem temperamentum quid operetur atque efficiat, iam patet.

X. Idem iudicium de cholericis ac melancholicis habitus signis ferendum est, quae non repetim⁹.

XI. Metamorphosis sola, quae ex facierum et frontis lineamentis non nihil coniicit, facile decipit; quia eorum figura ut plurimum ex accidenti uenit, saepe etiam transitoria est.

XII. Vnde sua sponte corrunt, quae *Ioannes Baptista Porta* de uultuum humanorum cum animalium uultibus collatione scripsit.

XIII. Corruet itidem tota chiromantia, ut-pote astrologicis ineptiis maximam partem inmixta.

XIV. Nec minus leuia et inepta apparebunt, quae auctor ~~adversus~~ de pedis admirandis Cardinali Rupefucaltio inscripsit, eumque pro toto homine, tota hominis anima, re sacra, regula religionis et nobilitatis uenditauit.

XV. Simili ratione pleraque concident, quae de uocis uariatione *Scipio Claramontius*, ac uul-  
gus Physiognomorum de nafo, capitis uertice,  
capillis, rhonchis, iugulis concavis, ac mi-  
nus bene commensurata proportione somniat.  
*Quam enim Zopyras θυρίοντας turpiter hic se-  
decerit, exemplo Socratis ex Cicerone constat.*

XVI. Oculorum consideratio uero uiuido,  
aequali aut etiam uehementi motui corporis  
innixa, uel cum ceteris signis aliquid coniun-  
ctim probabit, uel fallaci experientia iterum  
fallet, uel simulationi ac dissimulationi homi-  
num obnoxia manebit.

Expendatur Ioannis Euelyni, Angli, dissertatio de Phy-  
siognomia.

XVII. Ergo inter naturalia signa solus cor-  
poris habitus, quaeue inde dependent, omne  
punctum ferent. Ad quae uulgares Physiog-  
nomi non respexerunt.

XVIII. Signa autem moralia naturalibus au-  
xilio uenient, factaque et uerba saepius et con-  
stanter repetita ueram et certam morum noti-  
tiam suppeditabunt.

XIX. Quod ut breuiter constet, speculum  
lectori; aut etiam tabulam appendam, quam  
~~αρθρωσονται~~ ueram et certam appellare poterit,  
*ex praecedentium capitum demonstrationibus*  
atque obseruationibus formatam.

Tab. A.

**XX.** Hac uero tabula ante oculos constituta *Theophrasti Erefii* characteribus morum facile carebimus, utpote qui mores Graecorum uarian-tes tantum sine ordine delineauit.

**XXI.** Carebimus itidem sine damno *Sennalti*, *Barclati*, *Huarti*, *Richerii* et *Molinae* uoluminibus, quoniam in iis quoque uaga confusio regnat.

**XXII.** Id magis necessarium est, ut corporis animaeque mechanismum a *Spinozismo* defen-damus.

### CAP. XVIII.

## DE LIBERTATE ARBITRII, EIQVE OPPOSITA SERVITVTE ET MISERIA.

### I.

**Q**UOD si mores temperamentum corporis sequuntur ; hoc uero , ut demonstrauimus, nec immutatur , nec immutari in hac uita potest . consequi sane uidetur, ut omnis libertas concidat : qua sublata , ineuitabilis necessitas cooritur.

**II.** Necessitas uero omnem virtutis ac uitii ideam tollit. Virtute uero ac uitio cessante, nec praemiis forte locus erit, nec poenis quoque.

**III.** Quod ne fiat , liberum arbitrium curatius examinabimus , uisuri , quid uirium habeant mortales, quid minus.

**IV.** Et conueniunt uero in eo omnes, liber-tatem esse potentiam faciendi, quod fieri debet.

**V.** Haec in mente residet, non autem in uoluntate, quae et ipsa potentia est.

Debetur haec obseruatio *Johanni Lockin.*

**VI.** Mens autem et intelligit et uult,

## TEMPERAMENTA.

MELANCHOLICVM.

Sang anguis terrefris et grauis.

Mot Motus lentus.

Vasa Vasa sanguifera capacissima.

Poros Corporis habitus compactus, offa  
gentia, fibrae spissae.

Color Color fuscus.

Mem Membra impedita et inprompta.

Inde prouenit

SPES SERVILIS.

SOLLICITVS ET SERVILIS METVS.

Mater

Voluntas Avaritiae.

Petul Tristitiae.

Luxurie uniorum, famis, fitis.

Libido Myfogyniae, ueneris mutae.

Impudicitia Rustici pudoris.

Benevolentie Sorditiei.

Garrulitas Simulationis, mendaciorum, dis-  
simulationis.

Adulatio Inflationis et ineptae superbiae.

Imperitis Insidiarum, inuidiae.

Misericordia Crudelitatis, desperationis.

Inconscientia Tenacitatis.

Otium , aboriositatis afininae cum  
timore Memoria stupenda.

Ingenius



VII. Hinc bruta carere libertate dicuntur, quia nec intelligunt, nec uolunt.

VIII. Intellectio sola uero non sufficit. Fac enim, te ponere rupto ruere in aquam, et, dum cadis, ratiocinari ac syllogismum facere, non eris tamen eo temporis momento liber.

IX. Pariter nec uolitio libertatem conficiet. Vix enim liberum temet pronunciabis, si inter parietes sis conclusus : tametsi amici colloquii delecteris, adeoque cum eo esse una cupias.

X. Quamobrem praeter intellectu[m] et uolitionem impedimentorum quorumuis remotio requiritur.

XI. Impedimenta sunt uel interna, uel externa.

XII. Illa spontaneitati repugnant; haec determinationi obsistunt.

XIII. Ergo homo omnimode liber deliberato se determinat, et sponte, et necessitate extrinseca sublata agit.

XIV. Sponte agere significat actionis perpetratae auctorem esse uoluntatem.

XV. Verum caue putas, spontaneitatem, aut determinationem, indifferentiam aequilibrii exposcere. Ut enim haec difficulter concipitur; ita, si recte expendas, casui obnoxia erit, quemadmodum praecclare *Leibnitius* contra *Kingium* obseruauit.

XVI. Caue porro, ne determinationem et electionem mentis sine fine boni malique representatione fingas.

XVII. Ipse DEVS sine eiusmodi representatione non uult, aut decerbit quidquam.

XVIII. Tantum id obseruatur differentiae:

DEVS uerum semper bonum sibi repraesentat; homo apparentibus decipitur.

XIX. Ita hoc ad apparentia nisu defectus liberi arbitrii sese prodit.

XX. Neque enim ita homo uult, quod uelle, aut sperare, aut timere, naturae suae conformiter debet.

XXI. Vnus ambitioni inferuentia, alter uoluptati conuenientia, tertius auaritiae congrua bona appetit.

XXII. Ergo neuter in his liber est. Abripitur unusquisque suis, quibus adsueuit, bonis, sed falsis.

XXIII. Abripi significat cogi.

XXIV. Ergo omnes homines uitiis immergit et corrupti coacte agunt, quamuis sponte, quamuis tioluntarie.

XXV. Neque enim coactum opponitur spontaneo, seu uoluntario; sed inuitum.

XXVI. In inuito uoluntas abest. In coacto non item.

XXVII. Qui enim coacte agit, cupit, et maxime maius enixe deuitat. Enixe deuitare significat enixe uelle.

XXVIII. Coactum uero libero opponitur.

XXIX. Ergo iterum concluditur, homines a uirtute alienos liberos non esse.

XXX. Quod uero plurimi existimant, se libere et sine coactione uelle, inde est, quod indifferentia sibi proponant, aut bona et mala passum se affluentia animo repraesentent.

XXXI. Ita surgimus pro libitu et sedemus. Auarus et ambitiosus uoluptaria libere et ex animo respununt; uoluptarius ambitiosa et avara; et ita porro.

XXXII. In his uero libertatis character minus  
recte quaeritur. Tu fac, ut auarus pecuniam  
contemnat, ambitiosus gloriam, uoluptarius  
mollia, et tum demum liberos pronuntiabi-  
litas omnes.

XXXIII. Sed seruos, credo, et inquietos, et  
stultos, et furiosos quasi, secundum uniuscuius-  
que adpetitiones et propensiones dominantes,  
deprehendes.

XXXIV. Supra enim ostendimus, non iis-  
dem omnes inquietudinibus urgeri, non etiam  
iisdem propensionibus universos et singulos  
esse praeditos.

XXXV. Quamuis enim tribus propensioni-  
bus quilibet hominum distineatur; semper ta-  
men una ualentior altera est, prima secunda,  
secunda tertia.

XXXVI. Has propensiones aliqui uolunta-  
tes adpellant, adeoque de tribus uoluntatibus  
multa inculcant.

XXXVII. Nos non repugnabimus, dummo-  
do uoluntas idem, quod propensio, sonet, nec  
uoluntates, ut res ternae seorsim existentes,  
concipiantur.

XXXVIII. Et quia uero plures sunt, idcirco  
homines magis inquieti redduntur, quam si  
una urgerentur.

XXXIX. Ex quo demum perspicuum fit, fo-  
lum uirtuti deditum uere liberum esse.

XL. Appetit enim is, quod homo secundum  
dei uoluntatem, quam recta ratio ostendit, ap-  
petere et agere debet.

XLI. Ergo sapiens uirtuti et rationi seruit,  
optimisque exemplis praelucet.

**XLII.** Rationi et deo seruire libertas est. Affectibus et perturbationibus animi obedire servitus uocatur.

**XLIII.** Itaque uirtute ac sapientia conspicui, ut decet liberos homines, imperant, imperant affectibus, refraenant eosdem, diriguant, uincunt, ac sine violentis desideriis indolenter ac quietissime sperant timentque.

**XLIV.** Hoc imperio arbitrioque homines, uti nunc sunt, exciderunt; eoque fere carent. Arripiunt illi, quod sensibus gratum est, et corporis motus tanquam propensionum suarum typos intuentur et imitantur.

**XLV.** Hinc non tam uerum et maximum bonum appetunt, sed in praefens, quod sensus in primis afficit et titillat, irruunt. Ad id inclinantur, quia ualde allicit, doloremque, que uellificantur, quam primum abstergit.

**XLVI.** Bonum maximum, quia futurum est, non pungit, etiam malum maximum, quod e longinquu uidemus, nullam fere in nos impressionem facit: quamlibet de eo loquentes interdum attente audiatnus.

**XLVII.** Sapiens autem, uti ad repraesentationem cuiusque boni subsistit; ita in futurum prospicit, bonumque remotum et uerum sibi uiuide repraesentat, adeoque in propinquo constituit. Idem circa malum futurum facit, quod ante oculos sibi cogitando et meditando ponit.

**XLVIII.** Quamobrem non omnes ea ratione incedant ac procedant, multi inquisuerunt sollicite.

**XLIX.** Plato materiae omnem culpam tribuit, et quemadmodum Plutarchus arguit, in ea uim

quandam rebellem, et contranitentem deo  
mentique statuit. Hinc corpus quoque pro  
carcere habuit.

L. In eundem errorem Stoici sunt delati.  
Similiter Pythagoras rationes subduxit, et ne-  
teres fere omnes.

LI. Sed cum uero deus etiam materiam pro-  
duxerit, fieri non potest, ut in materiam omnis  
culpa transferatur, nisi ultimo in deum reuicere  
mali moralis originem uelimus.

LII. Id certum est, corporis humani inertiam,  
motusque securos, ac interdum uiolentos, aber-  
rationum occasionem esse. In ipsa materia nihil  
positiui est, quod repugnet, atque mentem im-  
pugnet, eamque pelliciat.

LIII. Simili ratione decipiuntur, qui mali  
quoddam principium necessitans extra mate-  
riam quaesuerunt, ut *Manichaei*, quos in capite  
de deo confutauimus.

LIV. Sicut enim aberrandi caussa meta non  
ponitur; sic nec natura mali in mundo existit:  
quod recte obseruatum ab *Epiceto* est.

LV. Ergo mens sola restat, in qua aliquid  
impotentiae obseruatur. Neque enim nunc sa-  
tis deliberat, idque, quod sibi offertur, debita  
attentione contemplatur.

Ostendatur, non pugnare reuera, qui corpus, cum illis,  
qui animum accusant. In corpore nifus naturalis ad  
bona praesentia et interdum minus uera deprehen-  
ditur; in mente non nihil impotentiae resistendi huic  
comatui, eumque dirigendi ad legem.

LVI. In obiectis externis nihil est, quod mo-  
teat. Alias omnes iisdem commotionibus at-  
que inclinationibus obnoxii forent.

LVII. Itaque, et si naturale homini est, ut,  
Digitized by Google

quod sibi bonum uidetur, eligat, et, quod se se lancinat, deponat; non est tamen eius naturae ac uoluntati diuinae conforme, ut quodus bonum arripiat, quod maxima saepe mala occultat, aut quemuis dolorem excutiat, qui saepe bonum uerum in sinu gestat.

LVIII. Hinc Deus dixit, ne concupiscas. Concupiscere significat, sine ratione ac mente in id ferri, quod corpori iucundum accidit.

LIX. Sed homo tamen id iam praestare uix potest. Amissa est illa potentia ac uis admirabilis, qua comparare inter se bona uera et apparentia potuit.

LX. Quemuis enim intellectus ad bonum uerumque discernendum adhuc foret aptus; tamen appetendi furor impedit, quo minus intellectus suo queat officio fungi.

LXI. Et talis furor in primo homine aberat: poterat is, quemadmodum aliquando sapiens, repraesentationem boni apparentis cum repraesentatione boni ueri commutare, adeoque arbitrari libere, ac uoluptatem praesentem et titillantem respuere, ac futuram, puram, minus nocentem sibi figurare, ac tandem consequi.

LXII. Hac dote perdita, mirum non est, corrumpi etiam intellectum, eum respicere praesentia, eum approbare corpori grata, improbare corpori molesta: quod est sane sperare, ac timere ineptissime.

LXIII. Ex hac spe metuque stolido conflata est *euauia perniciosa*, contra quam perorant Philosophi, Theologique. Non amant se se mortales: corpus et cuticulam curant, sed inesse. Hinc omnes corporis facultates stulte destruunt.

struunt. Non amant iidem alios homines, ut decet. Nocent iis, ut sibi in praesenti arum bene sit, et quemadmodum propria charitas a scopo abludit; ita amorem proximi ad eius mensam inepte et falso comparant.

LXIV. Vnde iniqui, immodesti, iniusti, auari, truculenti, feroce euadunt.

LXV. Imitatio atque exempla aliorum corruptionem augent; non autem prima mali causa sunt: quod contra *Socinianos* est tenendum.

LXVI. Inde nouae quotidie technae exco-  
gitantur, noua luxuria instrumenta finguntur,  
noua ambitionis adiumenta exsurgunt.

LXVII. Inde aetas posterior peior semper comparuit, ac comparebit.

LXVIII. Idem mali fomes ad posteros pro-  
pagatur. Nec enim *Adamus*, nec ego, nec tu  
meliores generamus, quam ipsi met sumus. Ea-  
dem corpora, eadem animae, quomodo cun-  
que etiam in corpus traducantur, et perueni-  
ant, et cum illo coniungantur.

LXX. Sufficit iam, eas ad typum motionum  
corporearum moueri et agere, non subsistere,  
non etiam meditari in futurum, sed in praesens  
magno hominum danno ruere.

LXXI. Atque in hoc miseria mortalium et  
infelicitas consistit. Quilibet sua bona sectatur,  
propriisque inquietudinibus distinetur, et a  
bono summo, hoc est, deo, in quo fiduciam  
collocare, cuique obedire debet, resilit.

LXXII. Sed caue credas, eo pacto nullum  
praemissum locum futurum, aut poenis. Nam et si  
ea, quae in nobis dominatur, cupiditas sati-  
magna est, ita ut inferiores cupiditates quae-  
cunque

tunquē supprimantur; tamen ea, quae in omnibus inuenit, uitiae conseruandae cupiditas adhuc maior est; quia alias omnes cessaturaē fōrent propensiones. Quocirca ad eam incolument tuendam omnes concurrunt et euigilant.

LXXIII. Ex quo elucet, non puniri propterea fures et delinquentes, quod concupiscant, sed, quod actū furentur, et manum ad rem alienam extendant, nec legum metum sibi opponant, quae uitiae ac sanitati periculum minitantur.

LXXIV. Vnde iterum patet, quid uelint Philosophi ac Theologi, cum in externis homines liberos pronuntiant.

LXXV. Et propter hanc libertatem enim, quae in omnibus residua est, sed quam uiui uidentesque ex proaeresi saepe supprimimus, cum tamen ad eam excitandam non simus inepti, honore, sanitate, uita priuamur.

LXXVI. Cui non obest, quod dicitur, experientiam perdocere, ciues eiuscmodi metum saepius flocci facere. Respondeo enim, idcirco in eos etiam grauiter animaduerti, quia, quod possunt et debent, non faciunt; crescentibusque delictis poenas crescere, ut, maiori malo inuento, desinant peccare, ac delectationibus indulgere propriis.

LXXVII. In eo fundamentum omnis imputationis in foro humano collocatur. Non enim ei attribui actio solet, qui aliter facere non potuit.

LXXVIII. At fateor interea, eum, qui sic abstractur a delicto, brutorum more abstrahi; nec bonum et honestum uideri, qui formidine poenae a peccatis abstinet.

LXXIX. Quod iterum indicio est, quām illū homo

**homo ad bonum ignauus et iners, quam impo-**  
**tens et quasi mortuus.**

## C A P. XIX.

DE MEDIIS RECUPERANDI  
LIBERTATEM.

## I.

**S**ed quomodo igitur vires homo recuperabit sibi necessarias et utiles? quomodo emendabit, quod deest? quomodo animabit, quod ignavum et uitae fere expers est?

II. Et perlustrabimus uarios modos refraneandi affectus, quosque ad libertatem restituendam aliqui existimarunt peridoneos.

III. Multi enim ab intellectu, multi itidem a uoluntate initium emendationis capiendum iudicarunt.

IV. Qui prius statuerunt, uel adhuc statuunt, antiquissimos Philosophos crepant, qui meditando deo nos futuros similes crediderunt: idem illud *γνῶσι σεαυτὸν* commendant, quo ad similitudinem dei facilius peruenturos intelligentes sibi persuadent.

V. Hic Pythagoras, Plato, hic ipse Aristoteles substitit: hic Cartesius, hic recentiorum plurimi naufragium fecere.

VI. Etsi enim ambigendum non est, eum, qui cupit bene ac recte, cogitare quoque et ratiocinari apposite, non sequitur tamen uicissim, ut, qui cogitat recte, cupiat sane atque optime. Videmus namque meliora, et sequimur detiniora. Non uiuimus secundum principia, sed affectus.

VII. Inde *Ioannes Lockius*, in postrema de intellectu humano editione, mutauit mentem calamumque; et dum olim homines necessario ad bonum maximum et praestantissimum, quod cognouerunt, ferti necessario existimauit, se deceptum fassus est ingenuus.

VIII. Quamlibet enim saepius obiectis absentibus recte iudicemus; non exequimur id tamen, quoniam inter cogitationem et executionem inuenitur interuum, ac quemadmodum inter os et offam multa interueniunt; ita inter cogitationes et conatum efficacem multi saepius motus exsurgunt noui, qui uoluntatem in transuersum agunt. Quod recte obseruauit *Auctor Theodiceae*, n. 310, seq.

IX. Inde fit, ut ei, quod nunc placet, praeferatur utilius, quodue iucunde et uiuide sensus mouet, anteponatur bono uero, et per deliberationem iam cognito.

X. Ergo alii ad uoluntatem prius refraenandam animum appulere. In hoc *Poiretus* multique recentiorum consentiunt, et ad opinionem suam stabiendam rationes factas validas conquirunt.

XI. Tantum in eo inter se differunt. Aliqui affectum dominantem aggrediendum censem; aliqui omnes, dominantem, medium, inferiorem.

XII. Postiores rectius quidem iudicant, quam priores, quia omnē appetitionem malam tollendam uident; hi, violentissima resecta, inferiores relinquunt; sed nec illi absoluunt tam, quod meditantur, opus.

XIII. Quomodo enim cupient, quod ignorant; quomodo damnabunt, quod nesciunt, malum?

XIV. Iaque in gyrum omnes rotantur, ac ubi res fert, capitalibus dubiis urgentur.

XV. Ergo sanius incedunt, qui utramque mentis uim et facultatem emendandam censent: sed quomodo, quoque pacto?

XVI. At in hoc iterum etiam Philosophi gentiles conspirant, quando rectam rationem sequendam dictitant. Ratio autem recta et apposite cogitat, et congruenter appetit. Vnde et Pythagoras inter Ἀνδριαν et Αὐγούστου prudentiam interposuit; Plato τὸ λογιστικὸν, τὸ Συμπτυχίον καὶ θεομητικὸν coniunxit: ceteri fere omnes, utut uerbis dispare, idem senserunt: et nos de uirtute eadem ratione philosophati sumus; nec Theologos aliter rationes subducturos existimo.

XVII. Verumtamen de mediis hic sermo est; non de eo, quod fieri debet.

XVIII. Et iam uero Stoicus surget, et, satis natura, inquiet, homini roboris dedit, si illo utamur, si uires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in causa est; non posse praetenditur.

XIX. Quae uerba utut magnifice pronuntiantur; nec sunt tamē illa adamatis Stoicorum sententiis congrua, nec ueritati quoque.

